

EPISTOLA

DILUCIDATORIA, ET ENVCLEATORIA;
p rutilis de independentia Sacrae Theologiae, Me-
dicinae, & omnium scientiarum, cum Astrologia
Mathematica Divinatrice.

O P P O S I T A

*Nugis, & figmentis monstruosis, & meris fabulis,
& calumnijs cuiusdam Astrologi Mathematici
Planetarij Divinatoris.*

Ad Illustrissimum Dominum Abbatem

D. IOANNEM BAPTISTAM PHOEBEVM;
nunc Prothonotarium Apostolicum, Auditorem
Nuntiaturæ Apostolicæ, horum His-
paniarum Regnorum, &c.

A V C T O R E.

Doctore D. Thoma à Murillo y Velarde, Presbytero, Medico Regio,
& Regalis Familia.



A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem conver-
tentur. *Ad Thimot. 2.*

Sapientiæ Spiritus curiositatem non acuat, sed charitatem as-
cendat. *S. Bernard. super Cant.*



Illustrissime Domine.



OMNIA Romanæ cedant
miracula terræ (Illustrissi-
me, ac Sapientissime, om-
nium Scientiarum genere,
Condecorate Heros) natu-
ra illic posuit, quidquid
vbique fuit illi servierant prius Domini Do-

A 3

mi-

minorum, quare ego quidem ne possum;
aut tacere, quæ de Roma, de te, & Romanis
sentio, aut non sentire ea, quæ de illis debent
omnes Catholici, in quibus omnia veluti sin-
gula, compendium, & epilogum, & summa
reperiuntur. Sed vtinam eam dicendi vim
haberem, vt exprimere possim pro meritis
tuis, quod semper de te sentio, scio; quæ de
te concipi infinitum subedere infra fastigia
doctrinæ, & scientiæ tuæ; scias & tu quæcū-
que loquimur de te, & de tua Nobilissima
Stirpe, longè esse minora ijs, quæ concepi-
mus. Nunc, quæ me tibi in res meas benevo-
lencia, & officia conciliarunt, nunc etiam ip-
sa humanitate, & eruditione, & bonarum
Scientiarum refertus sis, vt meritò possim
dicere.

*Si verum natura parens arriserit ipsa
Virtutis, studijs, ingenio facili
Et posuit virtus summo te in vertice Cæli,
Atque putas illa pulchrius ipse nihil.
Quas didicisti artes cinxit Polymnia lata
Tempora frondenti grammine Mercurius
Pallas, te Auditor, sociat te fervida virtus,
Et*

Et referant grates terra, polusque simul,
 Tu iuris legū, & custos aquisissimus adstas,
 Atque equo tratinas omnia iudicio
 Tuque reis pœnas in fonti premia dares,
 Incorruptus adest, firmus amore probi
 Tu superas studio vires, virtutibus annos;
 Tu Sophia studiosus, te constanti recti
 Amplificat, nec non lingua latina favet,
 Tū tibi verba fluunt pleno de pectore blāda
 Virēctus Iudex verba se vera refers,
 Tuq; doces Orbem, quæ sit via vera Fidei
 Consilio magno subditos Rome habes,
 Et vulgus, proceresq; tuo gaudere videmus
 Aspectu illorum sit tibi gratus amor, (tunc
 Laus quāvis tibi, & insignis nūc gloria cā
 Plus tibi laus detur, plus tibi debet honor.

Nostræ igitur Epistolæ, Illustrissime Do-
 mine, contrā Divinatricis Mathematicæ Se-
 ctatores, ut de more illorum est, multos in
 iudicādo ediderint errores per te eos depos-
 nant, quia multitudo errantium non parit
 errori patrocinium, nec cum illis pacem,
 licet cum omnibus, sed adversus vitia sua

bellum, quoniam si bona est causa pugnantis, pugnae exitus malus esse non potest: sicut nec bonus iudicabitur finis, si causa non bona, & intentio non recte praecesserit, ideo
Valerius. Planetarij Divinatores, levibus, & ineptis ingenijs, ut inquit Valerius Maximus, fallaci Syderum interpretatione quaestuosam mendacij suis caliginem Catholicis iniiciunt, cum nihil temporibus his rara sit fides avis, fraus enim regnat ubique, & dolus, quare fidentum est soli Deo; quia sic fraus nulla, dolusque nocebit, cum solus Deus signa, potestates, cursus, loca, tempora noscit; quia nescia est mens hominum fati, sortisque futurae quare non potui non excandescere in viros quosdam Vaticinatores, & Planetarios novarum opinionum Authores, qui Divinatricem Mathematicam laudant, & necessariam omnibus Artibus, & Scientijs, eius cognitionem affirmant. In te enim nemo est, qui ambigat litterarum studiorum tot esse genera, tamque propensam in studia voluntatem, quibus ita semper incumbuisti; ut possis vnumquemque in suo vnoquoque munere, & studio

dio candidè iudicāre, v̄t qui laudari mere-
 tur, tuis laudibus afficiatur; si enim nostræ
 enucleationis dictationem sollicitè perle-
 gens, aliquid tua Dominatio reperiāt absur-
 dum, vel funditus amputare, vel elimatiōri
 stylo digerere sustineas, non enim tamen-
 dū est, nisi manus corrigentis accedat, Scrip-
 toris articulus decorem genuinæ venustatis,
 & veritatis amittat: sed hoc potius ad niten-
 dum, v̄t dum styli currentis v̄banitati non
 parcitur, sobrii intellectus regula inuolabi-
 liter conseruetur; si etiam aliquod reperia-
 tur, quod à tramite veritatis, & Catholicæ
 Fidei exorbitet, per te ad correctionis for-
 mam, & rectitudinis redeat, & ad plenam
 eruditionem, & legentis auctoritatem, libe-
 ra examinationis tanti viri eruditissimi, &
 omni disciplinarum genere condecorati di-
 ligentia conualescat.

Cogor autem, v̄t tibi morem gerā, quid-
 quid occurrerit, & viderem de materia her-
 baria etiam in Authenibus præscribere, &
 cogere in breue libellum: quod sic facere in-
 stitui; quoniam res ipsa per se, scitu dignis-
 si-

si mai indicatur, cum non minus utilis, &
non parum à te suscipiendum, te Regum, &
Principum exempla, quia illorum maxi-
mè, & omnium immensa comoditas, quæ
ex parte materiæ herbariæ medicinæ ad
conservationem in omnes perveniet, cum
amorem, cum defensores; quia mira iocū-
ditas, quæ in contemplandis tot herbarum
generibus animum subibit tuum me invita-
bit, quid enim iucundius, quid delectabilius?
quàm intueri Stirpes, quas Deus Optimus
Maximus tot, tamque varijs pinxit colori-
bus, tot elegantissimis redimivit floribus,
quorum colorem nullus vnquam Pictor sa-
tis exprimere potuit: tot denique seminibus,
& fructibus: quorum, & in culina, & in me-
dicina vltus est maximus, ornavit? verum
non est cur te pluribus in admirationem hu-
ius partis medicinæ pertrahere coner, ut po-
te qui antea studio, & amore eius sic tenea-
ris, ut vixit aliud quod te magis delectet, &
iucunditas huius amoris pertrahat quare ro-
go velata fronte accipias; Bona autem spes
est has plantas, quas incognitas donamus fo-

re longē gratissimās, nō tantū quod;
herbas istas elegantissimē pictas reperire
queas, verū etiam quod inde ad multa
morborum genera remedia decerpere tibi
liceat. Vale.

Doct. D. Thomas à Murillo
y Velarde.

*Approbatio R.P. Iosephi Zaragozà è Societa-
te Iesu, in Suprema Hispaniarum Inquisi-
tione propositionum Fidei Censoris, olim in
Collegijs Balearico, Barcinonensi, & Va-
lentino Theologia Scholastica, & modo in
Matritensi Academia Imperialis Collegij
Matheseos Professoris Regij.*

P. D.

E Pistolam hanc de Divinatrice Astrolo-
gia à Doctore Thoma de Murillo y
Velarde, Regalis Familiæ Medico compo-
sitam, & mihi à vestra Celsitudine commis-
sam attente perlegi, & in ea quia brevis vni-
cæ, laudabili, nihil contra Fidem, & bonos
mores inveni. Ita censeo, salvo, &c. In Col-
legio Imperiali Societatis Iesu, 28. Ianuarij
1674.

Iosephus Zaragozà.

7
Ad Lectorem.

EGo nulli (amice Lector, & benevole) nol-
lenti iussero, aut legere, aut habere hanc
epistolam dilucidatoriam, & enucleationem;
sed qui voluerit: et si aliquis forte illam deteste-
tur, ordinet meliorem, & ego voluntariè ipsam
suscipiam; nam ista ulli nocet, sed omnibus Fi-
delibus, & amicis prodesse potest, in hoc, facti
parvi; inimici mea voluntate non tangent, ne
fortè de bono emulationes fiant, sic magis vitã
tuam ordinare disce, quàm aliena opera carpe-
re; quia ego nunquam minus solus sum, quàm
cum solus esse videor: nec minus otiosus, quàm
cum ociosus, & ex eorum numero me profiteor,
qui scribendo proficiunt, & proficiendo scri-
bunt: lege, & relege omnia mea scripta, & ni-
hil horribiliùs invenies, quàm hominem in eo
statu vivere, in quo non audeat mori; et si fortè
invides virtutis comes est invidia, & qui invi-
det, sibi quidè ignominiam facit: illi autem, cui
invidet gloriam parit, & nunquam meliùs tor-
quentur invidi, ni cum virtuti inserviunt, &
gloria, & infelix est (nescio quid vis dicere)
qui nemo odit, & Horatius dicit: Vitijs nemo

Horat.

sine nascitur, optimus ille est, qui minimis ur-
getur, & oculis mala lippus inunctis inquirens
in aliena vitia magis, & in his tam cernens
acutum, quàm aut Aquila, aut serpens, & vl-
timo.

Si vitam inspicias hominum, si denique
Mores cū culpēt alios, nemo sine crimine viuit
Virtutem presentem odimus
Sublatam ex oculis querimus invidi.
Vale.

De el Licenciado Don Iuan Mánuel de Murillo Aldrete y Velasco, hijo de el Autor, y Abogado de los Reales Consejos.

DOctíssimo señor en la ofiada
 Con que te opones á la turba varia
 que sigue la engañosa Iudiciaria,
 Que no la verdadera Astrologia.
 Se conoce que en Sacra Teologia
 Fundas, q̄ es Sciencia á la razon cōtraria,
 Y en vna prueba real es temeraria
 Qualquiera negacion, si no Heregia.
 Porque si para si la Omnipotencia
 Se reservô (como al poder Divino)
 Quanto toca á futura contingencia.
 Por què ha de persuadir el desatino,
 De que ha de dispensarse á la indecencia
 De la vil profelsion de vn Adivino?

Ad eundem, de eodem.

GRatus semper erit novus libellus
 Parentis grande decus novus legēdus,
 Doctis nam velit increpare tellus,
 Sortes Astriferas palam ferendas

Menti nunc hominum, magisque pelli
Ridens Astrologos, dolose mendus
Lector vive diu, legas sereno,
Patris magna tibi benè ore ameno.

EPIGRAMMA.

*In laudem patris sui, Autoris D. Thoma
à Murillo Aldrete y Velasco.*

Q Vis velit secum librum perducere florū,
Pulchra roseta cupit, lilia grata oculis.
Qualia per campum difundit gramine passū,
Aut cum floriferum vallis additur iter:
Dolci viatori liber, gemmasque nitentes,
Ingredere, ô Lector, tutus hętrusca pedes:
Pelle antiqua rogo, Assyriorū linque Planetas,
Ne tu à Kaldeis lumine nocte petas.
At quęso, tristes Astrorum pone libellos,
Deficiant Magici, deficiantque Doli,
Liber habet flores, & candida lilia opus (de
Doctus homo, ô Lector, perlege, curre, vi:
Hoc tibi, si dubitas, Divina contigit aura,
Ut patris quęrat fertiliora focis.

Introductio.

NON possunt non excandescere in vi-
ros quosdam Planetarios, & Vaticina-
tores novarum opinionum Autores, qui Divi-
natricem Mathematicam necessariam om-
nibus Scientijs esse affirmant, quare duplex
me impulit ratio, vt compedium contra Di-
vinatricis Mathesis Vaticinationem non sine
labore colligerem; sed vt (spero non sine fru-
ctu. Prima, vt nihil omitterem, quo Medicis,
& profitentibus bonas artes prodesse possim.
Secunda, ne quod fieri solet à singulis diver-
sa compendia conficiantur, & fortasse non
paucamendosa. Accipite ergo, & eorum
quæ totis libris adversus Planetarios Divina-
tores leguntur, & illorum fundamenta, & ar-
gumenta, & rationes contrâ nostram senten-
tiam sectantes veluti indicem habeto, & an-
tequam ad quemdam discipulum Princi-
pum Astrologorum Divinatorem respōdea-
mus, & illius argumenta, quæ militare vidē-
tur contrâ nos, supponamus, & prius aliqua
nostra fundamenta, vt illius argumentorum
& rationum solutionem faciamus.

Non arrogantia est, sed usus, quod nova iudicamus, nova inquam, non quod invenerimus de novo, cum satis, superque à multis Doctoribus refutatum sit idem, quod insectamur delirium, sed Astrologi, & vetantur semper, & quotidie reviviscit sua fallacia, & à Magnatibus retinetur, sed quod ordine nostra, ac propria methodo disposita; & ordinata, nullum sive ex antiquis, sive novioribus Medicis, vel aliarum facultatum sperno, cum per omnes profecerim, imò & proficiam; sed ut quisque suo est ingenio, in tempore, & certa occasione, nostro idem, & nos, me vel alijs aptare, vel alios mihi, haud facile, mihi met ego iple aptandus, & enucleatoria Epistola hic qua est à nobis tradenda, describenda est Lectorum, & Fidelium commodò studendo, adeò inserviendo.

Rem inquam agredior longè, latèque patientem; sed non tam vtilem, & necessariam, ut eam commendem, ut ex contrariae opinionis sententia deliria sua à nobis retorquetur. Aggredior ergo contrariam impiam doctrinam lucubratiunculis studio æditis, & industria scribratis, ut perniciosam sapè do-

Arinæ Catholicæ pestem). Lætifero veneno
 diffusam abstulerim, hydriam hanc; licet
 impossibile sit, extinxerim, harpijas, hoc est
 eius sophismata expulerim, quibus non pau-
 ci Catholici fortasse à Infidelibus fascinarē-
 tur, & Sacræ Theologiæ, & omnium Scien-
 tiarum, & Philosophiæ splendor obscurare-
 tur, & bona ingenia deluderentur. Iam iam
 mala, quæ ex ista perniciofa opinione quoti-
 die prodire poterant avertam, ne sub emen-
 tioris titulis, indignè, & immeritò, Sanctis, &
 viris insignibus Christianis adscribantur, &
 tribuantur, & sub Medicinæ Sacræ Theolo-
 giæ, & aliarum Scientiarum nomine cœcu-
 tientibus oculis perstigiōsè imponant. Iar-
 chamque ex Æreo Trono vi, & impetu veri-
 tatis deicere, & Tantali phialam de mani-
 bus excutere procurabo, tantumque terro-
 ris illis incutere, vt Pitagoræ palenginetiam
 Planetarij Divinatores, & Scatatores dedis-
 cant, & Gigans iste Gangis fluvij filius Læte o-
 rore perfusus suimet obliviscatur. Liber li-
 bros, tractatus prognostica meracissimis nu-
 gis, & fabellis plenos, & fabulas suas, & præ-
 notiones, & mortes Principum, & Regum,
 quas

quas Coelestibus imaginibus in Coelo fingunt
constare deridere. Hac enim Epistola adversus
suas Divinationes, & Vanitates suggillare, &
malignas insanias instructa acie dimicabo, ut
veram Sacrae Theologiae, Medicinae, & alia-
rum Scientiarum lucem à tenebris supersti-
tiosis, & nocte vindicare possim. Deus Ma-
ximus Omnipotens nobis secundis gratiae
suae flatibus aspiret, nec verendum quod ab-
sit Coelestis gratia, ubi abundat iusti Coeli, &
Sacrae Religionis causa, & etiam veritatis de-
fensio, quae opponitur vaticinijs cuiusdam
Astrologi, qui istis diebus non sine magno in-
sipientium periculo prognosticum clam dif-
fundit intra quatuor annos multa mala even-
tura, per eccentricidades; sed eius argumen-
tis ex his, quae dicemus, satisfaciemus.

Notandum est primo, Astronomi stellas
non ut Astrogii Iudicarij, & Kaldei à Pro-
pheta damnatis; sed ut exitu earum dierum,
mensium, annorum statu tempora, Solis, &
Lunae deliquia, aliaque scitu dignissima, &
vitae humanae utilissima si nobis designent,
sic utilis est non solum agriculturae, & arti
nauticae; sed etiam militari; quamvis aliter

hodie eam perdiscunt, scilicet vanitatem improbatam, & incertam, & damnatam iudicariam oppositam Mathematicæ veræ cum ex Galeno lib. de victus rar. in morbis adut. 1. *Galen.*

Mathematica demonstrationes certæ, inquit, sunt, & demonstrativæ, de cuius præstantia, & methodo loquitur in libro, de cuiusque animi peccat. notit. & medella, licet in eodẽ loco dicit, quod Mathematica exercentes artem eam exercent, ut quæstum faciant, &c.

Aristoteles fol. 154. docet Mathematicarũ scientiarũ certitudo est maxima, & Astrologica, & Metaphisica affinitas, quoniam igitur Mathematicæ Scientiæ, ut sunt certissimæ, & maximè accurate, ita omnibus alijs quasi exemplar propositæ sunt, ut quam maximè fieri potest earum docendi, ac probandi rationem sequantur; quia Mathematicæ, Physicæ, & Metaphisicæ collatio est, & Mathematicarum axiomatum essentia, & inquisitionem Philosophi est, & cum Medicina sit Philosophia practica; & unde desinit Physicus, incipit Medicus, libros dedit Galenus, de Mathematicis disciplinis, ut Aristoteles, qui etiam à parente suo Medico, nomine Nicomachũ, *Aristot.*
Galen.
Aristot.
Me-

Medicinæ Professore, qui Amyntæ Macedonæ Regi medicam præstitit operam, & ab ipso fuit doctus, scripsit de Mathematica, Musica, Geometria, Astronomia, Optica Militari, Nautica, de Plantis, de Morte, & vita, pluraque alia, cum naturalia, cum ethica, atque politica, quorum multa extant, plurima iniuria temporum evoluta sunt; ideo Medicus non in messe aliena; sed ut Philosophus libros dare potest de Mathematica, Astronomia, & alijs Scientijs supra relatis, cum autē

Idem. ex Aristot. lib. 1. Methaphisicæ dicat: Cum autem plures artes inventirentur, quarum partim ad necessarios usus, partim ad vitam pertinerent, semper his talibus, quam illis maiorem Sapientiam concedimus, propterea quod eorum Artes, & Scientia non ad utilitatem, usumque referantur. Hinc cum iam omnes eiusmodi parte affecta, quæ essent ea Artes, quæ non ad voluptatem, nec ad usus necessarios pertinerēt reperta sunt: ac primum ijs in locis, in quibus homines in ocio vitam agerunt. Quo circa in Ægypto primum Mathematica Artes comparatae sunt, quod ibi Sacerdotes in ocio omnium concessu degerent, &c.

Et sic de nomine resummi calumnia possit
 Scientia tractans de cognitione, & motu
 Astrorum Astronomia dicimus, alij distin-
 guunt, vt Astrologia sit, quæ de motu Astro-
 rum disserit, Astronomia, quæ de iudicijs
 agit ad vitam, fortunamque pertinentibus;
 verum hæc differentia non observamus.

Et sic quãdoloquimur de Magis, vt Astro-
 logi iudicarij, qui contemplantur Stellas, vt
 Kaldæi: tũ eos damnamus, quia apud Egyp-
 tios accipitur etiam Magus pro Propheta, sive
 Sacerdote, vt fuerunt Reges Magi, qui ab
 Oriente in Natali Domini venerunt; quia isti,
 & Sacerdotes, & Propheta fuerunt. In alia
 acceptione accipitur Magus pro Incãtatore,
 qui maleficas, & omnibus legibus veteris ar-
 tes exercet; nam cum Magi apud Persas po-
 tissimum Deorum cultui vocare solerent, in
 tantum postea, aucta est, eorum vanitas, vt
 hodi, propterea eadem rationem apud nos,
 vt non solũ observationem syderum fu-
 tura prædicere audent; sed artibus, quibusdã,
 & scire se omnia, & ausi sunt nominari Ma-
 thematicos, Astronomos, vt quod ratione nõ
 possunt consequi, falsis nominibus consequã-
 tur,

tur, & facere se omnia proficentur, & sic ipsa
ars incantandi Magica dicitur, ut docet Plin.
lib. 30. cap. 1.

Plinius. Magica accipitur pro Sapiencia, & perfe-
cta rerum naturalium cognitione, & sic Ma-
gia Persis appellabantur, quos Græci vocant
Philosophos, & duplex traditur species alte-
ra quam diximus, quæ nihil aliud est quam
consumatus naturalis Philosophiæ apex, quæ
Pythagoras, & Plato, & Empedocles, ceteriq;
inter Philosophos præstantissimi, velut San-
ctiorem quamdam disciplinam indefatiga-
bili studio, longinquisque peregrinationibus
conquisierunt. Altera, quam damnamus, de-
monum invocatione, infandisq; incantatio-
nibus constat, quæ & leges omnes execratur;
Plinius. & Plinius *Artem intestabilem vocat irritam,
& inanem.* Ecclesiastici *Magicas præstigas*
vocant, eo quod rerum veritatem evertantur,
hominum mentes fallacia præstringen-
tes.

Huiusdamnatæ Magiæ plures sunt spe-
cies, *Hydromantia*, quæ fit ex aqua, *Axi-
nomantia*, quæ fit securibus, & alijs dolabris,
Lecanomantia, quæ fit pelyibus; nam apud
Per-

Persas erant Magi *Leucanomantici* dicti, &
 Strabo lib. 15. *Quasi ex peluibus Divinantes*; Strabo.
 nam Vaticinantes peluim accipiebant aqua
 plenam, dæmonibus congruentem in pro-
 funda repentibus, vbi autem dæmon Map-
 sus erat aqua edebat sonum fatidicum, de
 hac specie, & *Hydromantia* vtuntur hodie
 Mauri, Turcæ, & Saraceni in Africa, & ex his
 Magiæ fontibus derivati sunt, apud nos *He-
 chiceros*, apud Italos *Hetrusci Auspices*, &c.
Caroperomantia fit per specula, de ista vtun-
 tur Turcæ apud Argel, & alia Regna Infide-
 lium, *Piromantia* fit per ignem, *Geomantia*
 per terram, *Chiromantia* per linearum ma-
 nus, de qua apud nos sunt aliqui Divinatores,
Negromantia per evacuationes umbrarum,
 & per Inferorum colloquia, à qua Nigromā-
 tici, quorum incantamentis mortui resusci-
 rari, divinare, ad interrogata respondere vi-
 dentur, *Capnomantia* fit ex fumo Aræ, cuius
 motu futura cognoscebant; sed de hac Ma-
 giæ satis tempus enim breve, opus verò lon-
 gum; quia neque sanè puto veteres illos Me-
 dicos, & Philosophos Astronomi nosse, nisi ve-
 mutationum temporum signa, *Canicula m.*

æstus fortis. Arcturum, & Pleyadas: & quatuor puncta Zodiaci repentina, um mutationum; ipsas ergo mutationes æris, licet Medico, & Philologo, & Mathematico, vel Astronomico Christiano per se observare, easque solas putare esse suarum artium, Lunæ illos aspectus; tunc solum caveo cum facere, aut deferre auxilia, nihil interest, hoc solum tribuens aliorum opinioni, quam voco minimam indicationem. Plerique vetant dies omnes conjunctionum, & oppositionum Lunæ. Alij addunt superstitioni multos alios aspectus infortunes, quos omnes constat in his diebus non inituros curationes, & initum facturos intermissionem, &c.

Inter nonnullos quesitum est, Cur in omne hominum genus Ildephonso Rex liberali, ac munifico se ostendisset, cur solos Astrologos Planetarios præteriret? neque enim huius Scientiæ Præceptores, sicut aliarum disciplinarum Magistri in eius Curia visunt, & unus, qui magis scire videbatur, Sydera, inquit, stultos, regunt, impelluntq; Sapientes, Astris imperant, stultos ergo Principes honorare Astrologos consequens est, non Sapientes.

tes: inter quos nomen suum *Alphonsus* obtinet,
 ex *Ænea Silvio* lib. 4. Comment. de rebus ge-
 nis *Alphonfi* ergo *Mathematica* *Divinatrix*,
 non *Mathesis* est, sed *Mathæa*, ut inquit An-
 gelicus Doctor *S. Thomas de Aquino*, qui do-
 cet non *Mathesis* est, sed *Mathæa*, quæ ex
Astris mortalium omnium fortunas, casus, eve-
 ta cuncta fatum ipsum pollicetur.

Æneas

S. Thomas

Sed ad nostrum veniamus institutum.

PASSIM fabulantur Poëtæ quatuor fuis-
 se in Græcia sacra certamina, quibus
 quotidie certabatur ab hominibus, ut qui in
 illis victores evaderint, laudarentur ab ali-
 quo laudato viro; quia nullum magis opimū
 præmium illic contingere posse iudicabant,
 quam ab optimo laudato laudari; proinde
 mirum non est, si id ipsum pari passu mihi in
 usu veniret, in te enim nemo est, qui ambi-
 gat, ut hæc omnia sub tuo nomine, qui bona-
 rum Artium studiosos, inter quos apud te ha-
 beri cuperem semper amplecteris, cum tam
 propensam in studia voluntatem habeas, &
 sic, qui laudari mererur, vis laudibus afficia-
 tur; sed absit adeo inanis, ac fatua vanaglorio-

Hypocrat.

læ cupiditas; à stipulatus enim iam diu mihi
suum illud Hypocratis dicentis: Si verò vul-
gi gratia velis dissertationem ad audiendum
non valde gloriose id captes, non cum licentio-
re, & ostentatione poetica, impotentiam enim
industri laboris ostendit. Non igitur ostenta-
tionis; sed quia omnes in ea Arte quam profi-
tentur, semper aliquid, quod utile sit nitun-
tur efficere; licet aliqui, qui hæc audiunt, &
sunt Astrologi Divinaculi vocant *Capricia*,
ut vulgò dicitur; alij verò *Ineptias*, forsane
ab his me magis deterrent, cogitabam etiā
mecum ipse, qui fieri posset, ut viri tam ce-
lebres, nunc & per tot sæcula in ista materia ef-
fent lapsi, ego vnus veritatem, attigissem, ita-
que ne me deciperet, Pictorū exemplo, qui
antequam vniuersam imaginem palam vi-
deri sinant, eius manum, aut pedem spectā-
dum exhibent, mihi necessarium esse duxi
Divinatricis Astrologiæ partem aliquam par-
vam in apertum edere, etsi fortè in his Sapiē-
tiores viri me allucinari subinde ineptias
quoque scribere iudicarent, minor in his par-
vis, & paucis Astrologicis materijs, quam si
omnes prodissent, error deprehenderetur;

fin minus oportuna, quam alios scripsisse, ne-
 que meas ineptias; sed illorum inertias falla-
 ces monstrasse censerent. Cœterum in his quæ-
 dam iocosa, quædam seria sunt; iocosa si ad-
 versarij culpent, se ipsa tuentur, quod ioco di-
 cta sint: seria sine defensore, vix calumnijs re-
 sistent; habent enim (quia nostra ætate nova
 sunt) adversarios nimis magnos, nimisque
 multos. Propter vis Astrologis; quia ioco-
 sa, & levia ingenia sunt quamplures subsidium
 ullum à tanto Principe petere absurdum est,
 nollem enim idem mihi accidere, quod illi,
 qui pulice pedem mordente Herculis auxi-
 lium imploravit; sed ad ea protegenda, quæ
 seria sunt, tanto iustius est, ut te invocem, &
 ut libenter annuas, quâto hæc graviora, uti-
 liora Reipublicæ Christianæ esse videntur, &
 ij, qui adversantur; quia me compulsi scri-
 benda, non pulices exestimantur, sed Ele-
 phanti.

Ego verò, quia nec anræ popularis indagã-
 da gratia hæc facio, nec dulci laudis illicio
 superatus, illa in lucem edere decreveram,
 quam potius veritatis, quam omnibus laudi-
 bus, & divitijs sic anteponendam censeo, ut

Galen. merito cum Galeno dicere possim: *Qua ratione ab ipsa usque adolescentia, virifice, sive insperatus, sive furore percitus, sive quomodo- cumque dixisse libet, & vulgi famam contempsi, & veritatis, scientiamque studio flagravi, nullam esse hominibus, nec honestiorem, nec Diviniorum possessionem ratus.* Hanc igitur sic discere, atque docere, ut Dei Minister indignus stago, ut post habitis tum docendi invidia, tum discendi pudore, nunquam excidat bracteatum illud Divini Basilij in epistola de vita, in solitudine agenda dicentis: *Manzanin dean epe schindos che di das chin ane pizonos cheiti paretern de di dacti mi epi cripten os per ephaphe, tongine con etha noza ipobalumine ala chrisin Ennomonos ton pater a tu logu.* Hoc est, dicere sine pudore, docere sine invidia, & si quid ab alio doctum est non occultare, quemadmodum mulierum notas supponentes; sed gratè pronuntiare patrem sermonis.

D. Basilius.

Quo circa optimo quidem iure hanc contra Divinatores Epistolam ad celsitudinem tuam dominationis mittere decrevi, ut si quos inter scribendum, vel disputandum ediderim errores; tuo veritate mihi cognita per te, eos deponam: sin-

ic everſa Divinatricis Sectatores (vt de mo-
 eil loro n eſt) multos in indicãdo ſparſerint,
 nunc veritatem doceantur, nec pudeat me
 alicui ſectæ addictum; veritatem amplecti,
 & errores ipſorum deteſtari; nam cñ dicat
 Divus Baſilius in Exameron, *Quod ſit ridicu- S. Baſilius*
 lum *Aſtrologia contradicere*, neceſſarium ta-
 men iudico, ne multi eorum fraude præoc-
 cupentur.

Et vt ad penſum redeamus, hoc certamē
 dividam in tres partes: In prima parte, argu-
 menta, & rationes, quibus poſſit Aſtrologia
 à ſuis Sectatoribus confirmari adducam: In
 ſecunda parte, ſententias confutantes, & irri-
 dentes ipſam præcellenſiam Philoſophorum,
 & illorum, qui Mathematicæ vacarunt,
 adſtruam, & conſuſiones aliquas de promā,
 tam rationibus confirmatas, quam ex Divina
 lege, & Sacræ Scripturæ arcanis, legeque Pon-
 tificia, & Civili deductas: In tertia parte con-
 trariorum argumentis ſatiſfaciam, quibus
 noſtra hæc Epistoſa, & noſter hic labor ad
 Dei honorem finiatur.

Iam ergo ad primam partem devenia-
 mus: primum argumentum authoritate ful-
 ci-

81
Aristot. citur Aristotelis, namque 1. Meteororum
scribit: Neesse esse mundum hunc inferiorem
superioribus latioribus esse contiguum, ut om-
nis eius virtus inde gubernetur. Idem ferè his
S. Augustin. verbis Divus Augustinus lib. de Civitate Dei
pronunciat: Inferiora hac, grossioraque corpo-
ra sublimioribusque regi, atq; moveri, quo fieri
Hypocrat. ut à Cælo, & Stellis, à quibus nostra pendent,
inferiorum effectus petantur. Hypocrates lib.
de locis, Aëre, & Aquis, & lib. 1. Epidem. cō-
ment. 1. Item maximè necessariam Medico
Galen. Astronomiam indicat, & Galenus Ipse eum,
qui Astronomia imperitus sit, minimè Hypo-
cratis obsequi affirmat. Taisnerus in præfatio-
ne ad Astrologiam naturalem Ioannis de in-
dagine, inquit, Stultum hoc Medicorum vul-
gus, quod nostro saculo sic videmus inolescere,
atque imponere nobis purpura sua, cum sibi ab
Auctoribus præceptum sciant, ut absque Astro-
rum consilio nulli medicentur, & tam longe à
medicina est, ut è centum vix unum, aut alte-
rum reperias, qui verè sciat dijudicare, quo tē-
pore qualibet medicina adhibenda sit, quod for-
tasse mirum non est, quid enim illum ocium es-
set in Astrologia occupare se, quibus ocium non
est.

est, ut Galenum suum legant, & Hippocratem; sed ex tumultu agunt omnia, ac prescriptis, quibusdam receptulis.

Secundò, sic ratione probant: ex accessu Solis, & recessu, habitus, & conditio viventium variantur; ita ut Vere in quo sanguis crescit, & liquatur per corporis ambitum, homines hilares, & iocundi appareant; Æstate iracundi; Autumno melancholici; Hyeme tardi, & pigri: & vnoquoque die variae sunt mutationes; mane namq; frigore torpemus, meridie calore cruciamur, hæ mutationes non nisi à Cælo proveniunt, ergo ab ipso multæ aliæ discernuntur.

Et suam opinionem confirmant, quia Lunæ motus, æstus maris sequuntur, fluxus, & refluxus producit, & crisiæ dies, hoc est, iudiciarij à Medicis observati, luminarium ipsorum motibus reguntur, quibus humores in corporibus agitati, & morbos iudicari quaternionibus, & septem annis pronunciant.

Tertiò arguunt crebris exemplis: quotidie videmus Nautas, & Agricolas circâ variationem Solis, & Lunæ posituram futura variari: ergo multò magis id Sapientiores effici-

ciet, quibus, & reliquarum Stellarum vis
& potestas cognita sit, & explorata.

Quartò sic si status aëris, tranquillitas scilicet, & tempestas, frigus, calor, humiditas, & siccitas à constellationibus pender, horum effectus sterilitas agrorum, fertilitas, & terremotus, pestilentiae, & Regionum salubritas pēdere quoque necessum est; si hæc à quatuor illis primis qualitatibus ortum ducunt. Ergo si hoc admittitur, necessariò, & illud admittendum est, homines ipsos, cum eisdem constent primis qualitatibus, à Cœlo pariter moveri, ab Astris gubernari, ac regi; ut salva arbitrij volūtate temperatura corporis, quæ ex his qualitatibus conflatur variè affecta, ad iram, & contumelias, ad mansuetudinem item, & pacem excitari, nec vllam omninò in Astrologiæ patrociniū efficaciorē rationem Tholomæus affert pro Syde. ū vniuersali efficiētia, quam primarum qualitarum, quas producent Cœlum, cœtera quoq; ob id consequenter producat.

Tholom.

Quintò, cum videmus excellentes virtutes, singularesque dotes, & proprietates aliquarum rerum ab alijs terrenis tantū exal-

ratas, vt minimè de Elementalī conditione
qualitas existimamus, ea munera Cœli sole-
mus arbitrari; ergo multo magis ipsi Cœlo
vis, & proprietas peculiaris inest, quam in
inferiorem mundum motu suo, atque lumi-
ne disseminet.

Sexto, ea, quæ suprâ vires nostræ naturæ, &
præter rationem fiunt, præterque ordinem,
& institutum humanæ cōditionis eveniunt,
quis nō iudicabit altiora, quam terrena prin-
cipia exposcere. Hic namq; ad Philosophiam
colendam, ille ad mercaturam, iste ad arma
tractanda propensior est, & inter hos miram
etiam inveniēmus diversitatem, ita vt hic fœ-
liciter, infœliciter ille negotiū exequatur.

Aristoteles namque, & Plato naturæ secreta,
& penetrarunt, & posteris reservarunt: alij
hebetissimi, nec excultata, atque pertrita in-
telligere queunt. Alexander, & Cæsar mun-
dum, & viderunt, & subiecerunt, fortis Da-
rius inimicorum tellis occubuit, & Pompe-
ius Ptholomæi gladio obtruncatus miserrī-
mè obiit. Alijs sanè diversiffectus de terra
minimè putandi conspiciuntur, vt facinoro-
sos vindicta prætereat, & iusti trucidentur:

*Aristot.
Plato.*

ergo hoc non ab alio, quàm à mirabili Cœ-
lorum influxu provenire cedendum est.

Septimò, si ars vera non est, nec prædi-
ctiones ex arte veræ esse possunt, ac præ-
dictiones veræ sunt; ergo & ars. Maior est
certissima, minor probatur experientia; ille
namque pronuntiavit futurum, & ad lineã
eventit, alius etiam ventura prædixit, & cõ-
firmavit eventus, & infinita exempla osten-
tant, quibus eorum errores confirmantur.

Hæc sunt argumenta, quorũ viribus Astro-
logi nixi suam sibi opinionem suadent, & va-
rias virtutes ad malum, & bonum vergen-
tes, Cœlo inesse putant, quo errore diversas
configurationes observant, & futura præ-
nuntiant. Pro qua opinione destruenda, nũc
ad secundam Epistolæ partem accedamus.

Multi fuerunt antiquitus Authores, & Philo-
sophi, tam eorum, qui in terris sunt, quàm
quæ suprâ terras Exploratores, qui cum de
Mathematica multa docuissent, de Astrolo-
gia Divinatrice, nec verbum protulerunt.

Plato. Plato magnus naturæ indagator, nec verbum
vllum de illa vnquam fecit: facere autem
maximè in Timeo debuisset, si apud eum

parvipensi non haberetur, cum ibi rerū vni-
 versitas ab eo pertractetur: verū n nec ibi,
 nec alibi. Siluit exemplo Timei Pitagorici
 summi, vt ipse inquit, Philosophi, & Astro-
 nomi, qui in suo de natura libro, quem Plato
 præcipue est emulatur, indignam Astrolo-
 giam putavit, vt de illa sermonem fuisset
 habiturus, an fortè ignoravit illam? minimè,
 sed eam parvi pependit.

Archigenes Adamantinus, & Cornelius
 Agrippa in omnibus disciplinis præcellentes
 multis rationibus Astrologicam vanitatem
 fugillaverūt: Platonius Proclus quamquam
 omnis Mathematicæ studiosissimus fatetur
 multa in Cœlo fingi, quæ ibi non sunt, aut si
 fortè sunt nobis compertum non esse affir-
 mat, & de ea præsertim locutus fuit doctri-
 na, quæ in dimetiendis motibus versatur,
 quæ de demonstrationibus infallibilibus proce-
 dit, vt ipse inquit, *Divinatricis vanitas con-*
stare non potest, quam Apuleius etiam in suo
 Metamorphosi facetissimè irridet. Mito
 vartos, & penè infinitos Authores antiquos,
 Græcos, Latinos, & Neothericos adversus
 eam multa disputantes; mitto Cicero. 2. lib.

Archigenes

Apuleius

Cicero

Di:

Averroes.

Divinationū contrā ipsam scribentem. Averroes etiam Cordubensis in Aristotelis Philosophia explananda celeberrimus, & inter Arabes excellentior, & primus, Astrologiam lacerat, & damnat, & inlectatur; nam *Nul- lam esse dicit, & opinionem de Cœlestibus imaginibus fabulosam esse affirmat*, quæ tamen sublati ruit maxima Astrologiæ superstitionis pars, & in Commentarijs Canticorum Prin-

Avicenna.

cipis Cordubæ Avicennæ contrariam esse Philosophiæ testatur, & falsa omnia Astrologorum dogmata. Quia de Gentilium superstitione, & vanitate, sicut in Divinatrice arte quantū erraverint, vel potius insaniverint Philosophi videre potest, ut Thales Milesius, qui principiū omnium rerū aquā pronuntiavit, & omnia ex aqua, & in aquā resolvit; alij ex aëre, alij ex terra omnia esse facta. Me- diodorus dixit, nos nihil scire, & omnia esse apparentia. Et Heraclytus, qui omnia ex igne, & in ignem resolvit.

Aristot.

Aristoteles nec credere Astrologis ex hominum genituris prædicentibus nos admonuit, litterisque mandavit, & non solum Antiqui, sed juniores Astronomi, & boni nomi-

nis Philosophi pariter efficere, ut videre est
 Nicolaum Oresinum, Guillelmum Albernū,
 Episcopum Parisiensem, Ioannem Marlianiū, *Marlianus*
 Medicum, & Philosophum insignem, Luchi-
 num, & Paulum Florentinum, Manardum, *Valeriola*
 Valeriolam, insignem etiam Marianam So- *Marianus*
 cietatis Iesu in historia Hispaniæ, lib. 11. cap. 1
 loquens de Astrologia Hispanè dicit: *Es una*
Sciencia vanissima, & secundum Castellæ, &
 Hispaniæ, & totius mundi, per quem vivit
 Gallenus, Franciscum Vallesium Covarru- *Vallesius*
 vianum, Maximi Philippi Secundi Protho-
 medicum, etiam libro de Sacra Philosophia.
 Miro in posterum ex professo Sanctorum
 Patrum colluviem. & multas Sacræ Scriptu-
 ræ sententias, illis namque; & istis nostra po-
 stea formabitur conclusio, ibique illas affe-
 remus.

Cornelius Agrippa loquens de Mathema- *Agrippa*
 tica Divinatrice, inquit: *Ego quoque hanc Ar-*
tem à parentibus pueri imbi, deinde non modi-
cum temporis, & laboris in ea amisisti, tandem
didici totam hanc, & omnem nullo alio funda-
mento inniti, nisi meris nugis, & figmentis ima-
ginationum, tadesque, & pœnitet in sumpra
 olim

olim opera, cuperemque omnem illius memoriã,
vsumque expoliari; abiecique iam dudum ex
animo, nec reassumerem unquam, nisi me Po-
nora, tentum violenta preces (qui solent nonnunquam
ad indigna artificia, etiam magnis, probosque
ingenijs abuti) sæpè rursus impingere compelle-
rent, suaderetque domestica utilitas me aliquã-
do illorum frui debere stultitia, & nugæ tanto-
pere cupientibus nugis obsequi. Et Poëta dicit:

*Astratibi Æthereo pandunt sese omnia vati,
Omnibus, & quæ sint fata futura monent.
Omnibus ast vxor, quod se sua publicat, id te
Astra licet videant omnia nulla monent.*

Et ne fortasse periclitetur ex Astrologo-
rum astutia imprudentium vulgus, & hu-
manarum litterarum rudes, qui nec indolē-
nec eloquutionem Authorum agnoscentes
nesciunt à legitimis adulterina secernere:
notandum primo est, quod multos tractatus,
& libros viris clarissimis Iudiciarij adscribunt
de Astrologia meracissimis nugis, & fabellis
plenos, ut quod ratione non possunt, ementi-
tis titulis assequantur. Ex hoc genere est liber

de proprietatibus Elementorum, in quo de magnis agitur coniunctionibus, & de secretis, ad Alexandrum, quem indignè, & immeritò Aristoteli tribuunt. Platoni quoque adscribunt de Magia libros execrabilibus somnijs, figmentisque repletos, & à Platone magnopere alienos. Sancto Alberto Magno, & Divo Thomæ Aquinati liber de Nicromanticis imaginibus, quas ipse reprobaverat, quando loquens de Mathematicis Divinatoribus, inquit, in lib. de Apophtheg. Christian. fol. 24. *Non Mathesis est, sed Mathea, vel Excomathea*, hoc est Cavillatio Astrologorum, quæ ex Astriis *Mortalium omnium fortunas, casus, eventa cuncta, fati ipsam pollicetur*; idè mendacissimè illi adscribitur. Quid mirum? quando, & Divitiarum Hieronymum, Authorem fecere cuiusdam libri de Incantationibus, & alia pleraque tum falsa, tum noxia temere sparserunt.

S. Albertus Magnus.

S. Hieron.

Secundò notandum est, ne de nomine sumi calumnia possit, videaturque pugnantia, quando de Astronomis, Astrologis, Mathematicisque tractamus, solùm Planetarios Divinatotes condemnari, reliquos verò, qui nō

Maginus.

Divinationes, vt refert Ioannes Andræas Maginus in introductione ad Astrologiam Divinatricem, vt librum Aristoteli attributum apocripham, & aliū Dorothei Sydoni etiam apocriphum, & fictum, & loquens magnus Astrologus Maginus, Hispanè dicit hæc: Los Chaldeos, Arabes, y Indios, incultos Autores que con demasiado deseo de adivinar quisieron amplificar la Astrologia, la mezclaron con mil varios delirios, como las suertes, y partes de todas las cosas, las Decurias, ò facies de los Signos, las imagenes, ò simulacros, que tienen su orto con ellas, las duodenarias, novenarias, fridarias, los grados lucidos, y tenebrosos, fumosos, vacuos, masculinos, femeninos, las horas planetarias, y otras cosas semejantes, y no solo han fingido estos principios falsos, y vanos, sino que passaron à escribir tratados enteros de interrogaciones, de imagenes, y de elecciones fingidas, y sin fundamento alguno natural; y por imitar esta supersticiosa barbarie de los Arabes, muchos assi de los siglos presentes, como del passado, llevados de una facilidad engañosa, incapaz, han caído en muchos, y gravissimos errores; de suerte, que haze de ellos burla el vulgo, son repre-

ben:

bendidos de los prudentes, y lo que mas es, han
sido tenidos por sospechosos, y odiosos à Nuestra
Santa Iglesia Romana. Quapropter, qui non
Astrologi Divinatores sunt, sed disciplinas
de cursu, & magnitudine Syderum colligunt,
ac rationem eorum scrutantur, approbari
aliquibus conditionibus, vt postea dicemus,
totum verò genus per Astra divinandi repu-
diandum fore.

Quibus sic positis, & declaratis nostram
sententiam aliquibus conclusionibus profe-
ramus, quarum prima sit.

Fortuita à Cælo per se non pendent, nec
præterita, nec futura ex vlla possunt constel-
latione prævideri. Sensus primæ partis hu-
ius conclusionis est; Res fortuita, quæ vel bono,
vel malo eventu solent contingere, scilicet, fæli-
citer, aut infeliciter navigare, Regis placere,
aut non latronibus occurrere, fodientem terram
thesaurum invenire: hæc inquam, nec de Cælo
pendent, nec prævideri possunt.

Hanc conclusionem expressè probat *s. Thomas*
Divus Thomas tertio contra Gent. quam-
quam illis favere videatur, & ratione pro-
batur: Quidquid fortuito contingit, non neces-
sa-

81
fariò, sed per accidens contingere creandum est;
sed quod per accidens contingit, nullam habet
naturalem causam; ergo Cælum, quod univer-
salis causa omnium nuncupatur, huius eventus
fortuiti nullatenus potest esse causa per se.

Et ut melius hæc veritas huius conclusio-
nis elucescat, liceat mihi in hoc longo de For-
tunæ campo aliquantisper philosophari.

Multiplex olim fuit circa Fortunam er-
ror; alij enim eam negabant; quia arbitran-
tur Fortunæ eventa necessariò habere proxi-
mam per se causam, unde iam non Fortunæ
sed effectus necessarius à sua causa procedens
Aristot. nuncupari debet, quod Aristoteles firmissi-
mè confutavit lib. 6. Metaphisicæ.

Alij Antiqui multa sunt de Fortuna fabu-
lati; Deam namque quamdam fixerunt, quæ
Fortunam appellabant, quæ esset horum ef-
fectuum causa, ignorantes veram causam
multorum effectuum, qui hominibus casua-
liter eveniunt, & Deum verum non cognos-
centes. Sed huiusmodi commentum impug-
narunt, inter alios Divus Augustinus, Lactan-
g. Augustinus tius, Albertus, & Scotus.

Alij fortuita nullo consilio superioris cau-

se produci, nullaque providentia evenire crediderunt, quam opinionem incipiam, detestabilemque Theologi, & antiqui Philosophi confutaverunt.

Aristoteles lib. de bona Fortuna, inquit: *Aristor.*

Nota esse sensibilia omnia praterita, atque futura à Deo, & in ijs dirigi, nos ab eo, unde sequitur, quod omnia, quae contingunt fortuito, Divina subijciant voluntati. Expresse hoc tenet doctissimus Pater Suarez tom. 2. suae Metaphysicae; cuius verba sunt hæc: Nos verò omnem Fortunam subijcimus Divinae voluntati, & providentiae, quae nihil nobis casu accidit, quod à Deo non sit, vel ordinatum, vel per-

P. Suarez

missum: Hæc Suarez. Et Divus Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 4. idem tenet: Nihil, inquit Augustinus, visibiliter fit, & sensibiliter, quod non de interiori invisibili, atque in intelligibili aula Summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur secundum inefabilem Iustitiæ premiorum, gratiarum, & retributionum in ista totius creatura amplissima quadam, immensaque Republica, idem attigit, lib. 83. quæst. 24.

S. Augustinus

Non igitur à naturali, & ratione carente

cau;

causa, v. g. à Cœlo de quo, & de Stellis dixit
Galen. Galenus lib. de historia philosophica: *Stella,*
ac Cœlum animal immortale, & ratione præl-
ditum, & alio in loco: Stella Cœlestes Deus,
quod repudiandum fore, neq; ab aliquo eius
influxu fortuitum producitur, quin ab intel-
ligenti. Instigare enim ad fossionem sepul-
chri, in quo thesaurus lateat, Deus, aut Ange-
lus Custos Divino permisso est causa, qui oc-
cultis motibus potest invitare pauperē agri-
colam ad eum effodiendum locum, ubi no-
vit esse thesaurum, & quod pauperis fuit for-
tuna, consilio tamen Angeli fuerit, tenet hoc
ita expressè Suarez loco citato.

Labor viris convenit,

Virtuti Fortuna cedit!

Crescente superbia, crescente Fortuna.

Plinius inquit: *Deus magna curat, parva*
autem Fortuna committit.

Antiqui dixerunt: *Te faciamus Fortuna*
Deum, Cœloque locamus; sed Fortuna cum
blanditur fallit.

Si Fortuna iuvat, caveto tolli,

Si Fortunat onat, caveto mergi.

Fortuna, ut Medicus ignarius, multos cæcat.

Ethææ de Fortuna nunc sufficiant. Secunda verò pars conclusionis ex his, quæ infra dicenda sunt; manifestè probabitur secunda conclusio: *Astrologia Divinatrix incerta, & fallax, minimè que comprehendi potest, nec scibilis est, etiamsi physicè ipsa vera fuisset.*

Probatur hæc conclusio ipsius Tholomæi Tholom. Apotelesmaion. autoritate, qui postquàm docuit prædicentis vita Astrologorum vitia falsa, mendaciaque evadere subiunxit: *Disciplinam ipsam etiamsi quispiam cōsequatur, esse tamen necessarium, ut ipse quam sæpissimè fallatur, tum ob ipsam rei naturam, tum ex nostra imbecillitate, qua substantia artis confusione succumbit: & ipse asseverat in Centi-* Idem. *loquio, Astrologos particulares rerum formas pronuntiare non posse, solosque numine afflatos particularia prædicere. Arabum omnium* Arabes; *firmiter consensus est: Posse non evenire, quod Stella promiserit, & ob materiae consumaciam, & ob humanum arbitrium, & ob universalis fati vim, particularis fati promissa frustrantis, & ob Divinam Providentiam.*

Porphirius Philosophus insignis tract. de Porphirius *Astrologia, qui inter Philosophos fuit præ-*
stan-

stantissimus, scribit: *Responsa Oraculorum,*
tum falsa deprehendi solere, cum numina illa
ex Cœlestibus causis, quas probè agnoscunt, ea
ipsa pronunciabant fallacem autem pronun-
ciationem esse, quæ ex illis proficiscitur.

S. Thomas:

Quod si dæmones, quos nihil rerum
Cœlestium latet, in prædicendo ex Astrolo-
gicis observationibus decipiebantur, cum
nihil tamen cuperent magis, quam ex vera
futurorum prædictione titulum sibi Divini-
tatis abrogaret, quod de hominibus quoti-
die apud nos vaticinantibus ridicula statuē-
dum est, Angelicus Doctor Divus Thomas
art. 3. & 4. quæst. 57. quærit: *Vtrum Angeli*
cognoscant futura? respondet sub distinctio-
ne: *Futura in se ipsis nonnisi à Deo cognosci, in*
suis verè causis cognosci posse, quando necessa-
riò ex illis proveniunt, v. g. cognoscit, Angelus
ex dispositione, & temperamento arboris, viren-
tibus, & opimis pomis ipsam arborem fere, ut
scateat, postea Vere, aut Æstate, & alia huius-
modi cognoscunt eventura; ut an æger con-
valiturus, an vitam eviturus sit, ex illius vi-
ribus, ex magnitudine morbi, ex conferen-
tia, & tollerantia, sicut Medicus; sed multo

perfectiori modo, prædicere poterit. Quod si non semper eveniant, sed solum ut plurimum; non certitudine, sed coniecturis cognoscuntur. Si verò, inquit, non proveniunt à suis causis, erunt Angelis penitus ignota, nisi Deus revelet: Hoc respondit Sanctus Thomas loco citato.

Si ergo Angelis futura occultantur, & nisi ea, quæ intra suas causas continentur, cognosci ab ipsis minimè possunt; quare non sunt penitus Astrologi reiiciendi, qui temere futura pronuntiant, & talia, & tam absurda, & ridicula, quod timeo illa proferre, cum à tam perfectissimis creaturis, & in omni disciplina sapientissimis præcognosci minimè possunt illa, quæ dicunt Astrologi.

Secundò, probatur ex incerto, indeprehensoque Stellarum numero, & Cælorum falsa, atque incerta quoque redditur Astrologia. Alij enim octavam Spheram ultimam statuant, Stellæ omnes fixas continentem. Alij nonam superaddunt. Alij vero decimam. Primam opinionem introduxere Kaldæi, & Egyptij, quam Plato, Aristotelesque postea lequuti sunt, & eandem Leo Hebræus, Tho-

Idem.

Kaldæi.

Aristot.

*Alphonſus
Rex.*

Hiſtoria.

Meſſala.

72
Iomæus, & Platonicus Proclus tñtabantur.
Secundam opinionem introducere Neoteri-
ci, quam authoravit Rex Castellæ Alphon-
sus, qui primus omnium nonam Sphæram
supputavit, & ultimam esse credidit, & fer-
tur distribuiffe centena millia aureorum
Mathematicis, qui hinc inde excludere,
Arabia, Africa, & alijs locis accersiti fuerant,
pro constructione Astronomicarum Tabula-
rum, quæ hodie illius liberalitate omnium
manibus teruntur, perpetuò tanti Principis
encomio, quem sequuti sunt Leopoldus, Me-
sala, atque Campanos, sibi hoc ex contrarijs
octavæ Sphære motibus suadentes, quoniã
duo motus ad partes maximè oppositas ei-
dem corpori inesse per se non possunt, qua-
re cum sic deprehensum octavam Sphæram
ab Occasu in ortum moveri, rursusque ea
ipsa Sphæra cum ab Oriente in Occasum vna
cum reliquis volvatur, diurno motu putave-
runt necessariò confici. Prior enim ille mo-
tus, qui multis annorum millibus completur,
naturam propriam Sphære consequitur, aliū
verò qui diei vnius spatio consumitur, ab
alio scilicet superiori globo communicari
necessariò iudicabant.

Alii

Alij verum non desunt, qui tres Cœlos cō-
 stituunt, & quod sint fluida, & corruptibilia *Iuniores.*
 ex Epistola Sancti Petri cap. 3. *Cœli ardent*
solventur, & elementa ignis ardore tabescent, *S. Petrus.*
novos verò Cœlos, & novam terram secundū
promissa eius spectamus, &c. Et ex Luca ca- *S. Lucas.*
 pit. 21. *Cœlum, & terram transibunt, verba*
autem mea non transibunt. Et ex Ioannis Apo- *S. Ioannes.*
 calipsi 21. *Vidi Cœlum novum, & terram*
novam; primū enim Cœlum, & primā terrā
abiit, licet David Psalm. 148. dicat: Statuit eā *Psalmus.*
in æternum, & in sæculum sæculi; sed de hoc
 aliàs dicemus. Non defuere etiam, ut suprà
 diximus ex Galeno, qui vnum tantū Cœ- *Galeno.*
 lum constituentes, quasi animal quoddam
 ex membris, sic totum Cœlum ex reliquis
 Spheris, veluti partibus constare pronuncia-
 bant; quapropter diversis, & contrarijs moti-
 bus moveri ferebant; nam alius motus toti,
 alius verò partibus debetur. Quibus senten-
 tijs quam incerta reddatur Astrologia pater;
 nam si supra octavam Spheram duæ aliæ
 ponantur, falsa est omnium Veterū Astrolo-
 gia, qui scilicet imperfectis observationibus,
 mixti Cœli partes ignorarunt primas, easdem.

que potentissimis, & nobilissimis, tum loci
sublimitate, tum corporis vastitate, tum mo-
tus rapiditate.

Sic rursus Sphera nulla præter octavam,
nulla etiam est Iuniorum Astrologia, quæ
duodecim signa in nono orbe describit. Cœ-
terum siue nona sit Sphera, siue decima, siue
non sint, nihilominus vniversa nostræ tem-
pestatis Astrologia labat, ac corruiat. Nam-
que si Cœlestes affatus ex omnibus Cœli
partibus proveniunt, illud sequitur, quod ni-
hil omnino prædicere possint legitimè, cū
orbium quibus deferuntur Planetæ partes
minimè stellatas non observant, nec aliquid
eis vitium, & efficaciam inesse putant in per-
mutandis inferioribus. Si verò à Syderibus
solum conspicuo lumine lucentibus pote-
stas inferiora mutandi deorsum fuit: conce-
dere, & illud eos oportet, nullus videlicet no-
væ Sphæræ defluxus huc pervenire, quæ vel
nulla, vel invisibili luce prædita sit. Quare
aut Sphera omnis est observanda (quod mi-
nimè fit ab eis) aut nona illa contemnenda:

Bonatus.

quod putavit Bonatus affirmans: *Nihil quod
suprà octavam Spheram sit ad Astrologum*

pertinere. Sed & hoc insigne delirium accē-
 dit, quod & in Sphera ipsa nona duodecim
 octavæ Sphæræ signa describunt, quibus eam-
 dem vim inesse putant, quam insignis octa-
 væ cœmenti sunt, adeo rudes, ac tardi, ut
 non percipiant diversarum Sphærarum eam-
 dem naturam esse non posse. Demum cum
 nec motu, nec luce, nec situ, nec molle con-
 veniant, quæ nam illis communio naturæ,
 aut erit, aut iure poterit existimari? & nos
 possumus dicere, quod quantum Astrologi
 mentiuntur, tantum Astronomi metiuntur.

Rursus rogo? quæ nam ratio persuasit in
 illa duodecim signorum Sphæra naturas esse
 distinctas viribus, & proprietatibus, his nec
 plures, nec pauciores? quis sensus iudicabit?
 potius autem nimis absurdum est, hoc ita pu-
 tare: unde Abensurra lib. ration. Astrologica-
 rum veritate coactus de signis prodit aliqua
 ex arbitrio dici, inter quæ divisiones Zodiaci
 meminit, & non aliam rationem affert, cur
 eam in partes tercentas, & sexaginta fecerit,
 nisi quia numerus ille sit divisionibus Astro-
 nomicis accommodatior. Idem Avenrodam
 fatetur lib. de Astrologic. cap. 5. & affirmat,

Abensurra

non

nō ob aliud divisum fuisse Zodiacum in partes duodecim, quæ signa vocantur, quorum postea vnumquodque in triginta, quæ vocantur gradus, & rursus partem quamlibet trigessimam in sexaginta minutos, nisi quia numeri hi magis idonei divisionibus forent.

Quæ igitur tarditas? quæ dementia? imaginarijs illis partibus, & divisionibus Zodiaci humano inventu excogitatis addimentis Astrorum motus, variam, & diversam naturam indere voluisse: natura ne ad nostras cogitationes per capillos arreptam propellimus? minimè gentium cum nominarebus, non res nominibus obsecundent: non ideo, *Quia affirmatio dicta est, vel negatio,* Aristot. *ideo res erit, aut non erit.* Verba sunt Aristot. 1. Perierm.

Sed antequam ulterius progrediamur in aliquos protervos, & ignaros Divinatores devacabor, & in vanos Astrologos, & in Medicos circumforaneos inter ipsos, quia quis non indignè ferat, ex vulgi infania suæ peritiæ modum metiri innoxia sunt circumforanei Medici, & Astrologi, Mathematici nominati, & etiam despicabiles Logiatri; qui cum virtu-

re nequeant populo placuisse, neque bonis ar-
 tibus opes, honorem, gloriam sibi parare, ad
 maleficia sese convertunt, & devolvuntur
 ad spurcas, atque aniles fabulas, & perplexis
 verborum ambagibus irretire student, & in
 pradam abducere rudem plebeculam. Bar-
 bara quædam crepant vocabula, ut obscuro,
 & immodico sermone promptius fallant. A
 vertice in calces desiliunt, nihil refert, quid
 qualiter oblaterent, ex præcordis transcur-
 rant in artus, ex liene in pulmones, ex iecore
 in testes, ex ano in fauces. Omniaque tum
 abdita, tum conspicua infami, sceleratoque
 ore nebulones nefari, percurrunt, & ebaubāt,
 ut eam tandem particulam nominent; in-
 quam affectio incubuit, cum nihil minus in-
 telligant. Horum Medicorum Astrologo-
 rum garrullitatem, & impudentem Battolo-
 giam bardus populus ex loquacis vrinæ, &
 pulsus, & aliarum rerum comprehensis in-
 dicijs proficisci existimant, cum fraude, do-
 lo, sycophantijs omnia struant, & cōmunicā-
 tur, & quando ut Planetarios prædictiones fa-
 ciunt futurarum rerum se sagos venditant,
 & ex Astris nobis annuatim, & inter illos etiā
 Bar-

Barbitōnfores, Chirurgici, & Pharmācopolæ
loquacissimi prognostica inter indoctos, &
mulieres obtrudunt, eos conspiciamus, qui
imprudentiores sunt, & minus artis habent,
non vno verbo edicere quid spectādum sit,
sed consarcinatis nugis plurima involvunt,
& nunquam non promittunt pluviosam se-
renitatem, salutem, vel mortem, ventosam;
vt illi trāquillitatem, procellosam malitiā,
vt vtrumque contrarium in altero semper
affonct. Quin vaticinijs suis de industria
quid attexunt, quo queant elabi fugitiva
mancia, si quis eos erroris, & prostitute fa-
Historia. me coarguat. Apagesis insulsissimos homi-
nes, & planè dignos, qui tam improbi, & ma-
nifestis imposturis poenas pendant. Ale-
xander Imperator Verconium Thunium
fumo iussit necari, quia vanam spem rerum
à Principe impetrandarum civibus vende-
ret, præcone clamante: *Fumo plectitur, qui
fumos vendidit.* An non hi Medici, Astrolo-
gi, & Mathematici Divinatores sexcentis
Vercomijs nequiores, nec vnum, alterum ve-
malis artibus circumveniunt. Sed sua im-
pudentia, & temeritate vniuersum propē

orbem corruerunt, & hodie corrumpunt, suas ubique ineptias infeminant, venalem ubique prostituunt linguam, & non ferenda iniquitate mortales fallunt, & maximè Principes. Imò qui Astrorum, & conversionum Cœli peritiores sunt, persæpè ob istorū spuecas nenas malè audiunt.

Tertiò, probatur, vt Astrologi, & alij Vaticinatores vera prædicere possint, omnium Stellarum notitiam habere necesse est, sed nullius Stellæ præter vulgatam Solis, & Lunæ notitiam habent; ergo vera prædicere nō possunt; maiorem probo, cum omnibus Stellaris vis, & facultas insit inferiora mutandi: minor etiam cōstat, ad hoc vt aliquod simplex suam virtutem manifestè debet ab extranea valitate, & alterius simplicis compositione esse denudatum, sed nullam Stellam Astrologi separatam experti sunt, ergo vera prædicere non possunt.

Probatur etiam vltèrius, tribus modis vtuntur Astrologia: Primò, prognosticant effectus phisicos futuros, qui nullo modo dependent ex humana volūtate, nisi ex causis occultis, & naturalibus, vt terremotus, tē-

pestes, inundationes, dies nebulosos, vel nō
pestes, & contagia, mortes Principum, & Re-
gum, & hominum, &c. Secundo modo,
vtuntur Astrologia Genethliaca; quia agit de
genesi, vel hominum nativitatibus, & quia se
opponit libero arbitrio hæretica est, & pro-
hibita; quia prædicit coniugia soboles, digni-
tates, & divisio fit in duodecim domus.

*Natus, vincit, fratrem, pater, filium, infirmus,
Vxorem, mors, ambulat, regnat, fortuna, incar-
creati, &c.*

Tertio modo, vtuntur Astrologia super-
stitiosa, & sine fundamentis, nec authorita-
tibus: vt ipsi tenentur fateri, quando respon-
dent interrogationibus. Prima pars vocatur
ab aliquibus *Kalendarigraphica*, vel *Alma-
nachistica*, ex qua solū cū aliqua probabi-
litate possunt prognosticare aspectos ortum,
occasum, defectum, eclipses, & nō alia quæ
quotidie ponunt in suis scriptis, quia non sunt
Tichon. vsque adhuc certæ suæ regulæ, nec patent
evidenter, vt docet Tichon de Brahe in præ-
fatione tom. 2. de Cometis solius, inquit, Lu-

inæ curriculum per integrum, & amplius novennium Tichonem exercuit, usque dum post varios, & indefessos labores talem qualem anno superiore auspicijs Sacræ Cæsareæ Maiestatis emissimus, &c. Galenus libro de ratione victus, inquit: *tanta enim est artificum inter se pugna, ut quod unus saluberrimus id alter protinus perniciosum esse contendat.* Atque hac ratione factum est, ut Divinatione fere ars ipsa comparatur, siquidem augures, eamdem avem, ad sinistram quidem faustam, ad dexteram vero infelicem esse putant.

Quanta enim sit differentia, quæ reperitur in Tabulis Tichonis Brahe, & Tabularum Astronomorum reliquorum colligi potest, ex his, quæ dicuntur in Præfatione supradicta, loquens de motu Solis, & Lunæ: *Non solum aliam quamdem secundum longitudinem, inæqualitatem, quam ab antecessoribus animadvertimus viderelicet: sed longè diversos latitudinis diversæ limites, quam à Tholomeo, & ipso sequutis Astronomis præfixitum: quam & ipsam inæqualiter ad differentiam trientis unius gradus mutari depræhendit nodis etiam ubi Ecliptica eius orbita transie singulis re*

22
volutionibus evidenti admodum discrimi-
na hinc inde mutantibus.

Tichon. Tabulæ, & computationes Tichonis ac-
ceptæ sunt summo applauso, & per illas dis-
Ioan. Ant. positæ sunt ultimæ Ephemerides scilicet
Maginus. illarum Ioannis Antonij Magini ab anno M.
DC. VIII. vsque ad annum M. DC. XXX. Il-
Argoli. læ verò Ephemerides Davidis Origani, quæ
tomus illarū ultimus pertingit vsq; ad annū
M. DC. LIV. & novissimæ Argoli, quibus ho-
die ultimus; quamvis verum sit, quod contrā
Gallileus. observationes Tichonis dicunt Gallilæus de
Gallilæis celeberrimi ingenij Florentinū, Ti-
chonis emulus in suis Dialogis, & arguit,
quod omnia instrumenta, & observationes
illius sunt fallaces, & idem Scipio de Clara-
Scipio. monte Nobilissimus, & Doctissimus Gallus
in suo Antitichone eandem sequitur opinio-
nem, & alios contrā alios discertant, & brevi-
ter, & nervosè narrat Sapientissimus Pater
P. Cabans. Nicolaus Cabæo è Societatis Iesu insignis
Magister Mathematicæ in lib. Methærorum
Aristot. lib. 1. sect. 37. quæst. 1.

Sed hic notandum est, quod omnes antiquæ
Ephemerides, scilicet Tholomæi Astrologiæ
P.

P. Iulij Formici, Manlij, & omnes, qui Ro-
 me floruerunt temporibus Claudi Impera-
 toris, vt Albumazar, & omnes Arabes, Iu-
 dai Salmanticae, & Zamorae, quia d Tabu-
 las Alphonsinas venerunt, valde erraverunt
 in illarum compositione; quia nemo potuit
 prognosticare rectè aliquid nullis in rebus,
 neque in noturalibus, nec fortuitis, nec libe-
 ris, quia omnes erant errabundi, & non intel-
 lexerunt verum, & certum Planetarum cur-
 sum, & sic horum Almanakes, & Kalendarij
 sunt errati, & qualiscumque error in hac ma-
 teria faciunt erratum, & fallax, & inane prog-
 nosticum omne.

Zamora.

Et quia hoc maximè substantiale princi-
 pium sequitur consequentia altera, & neces-
 saria, & sic errores observationum patefient
 clarè, & euidenter, & dicimus, quod omnes
 motus, & observationes Astorum Astrono-
 morum sunt errati; & ex hoc sequitur, quod
 qualiscumque sit historia, & exemplum An-
 tiquorum Astrologorum, quorum praedictio-
 nes in illis notantur nullo modo habere prin-
 cipiū virtute Astrologiae; quia cum eorū prin-
 cipia, & fundamenta sint errata, & ignorata,
 &

& veri Planetarum motus, & introducti alij
motus falsi, necessariū est, quod secundū artis
regulas nullo modo prognosticare potuerūt.

Et ne fortè dicatur, quod cessat hodie hoc
argumentum, & inconueniens cum diligen-
tia, industriaq; & labore Tichonis Brahe Ke-
plero Imperatoris Rodulphi Mathematici
Chenemani Langrave de Hessem Mathematici,
Ioannes Baptista Cifato, Societatis Iesu,
Scheineri, Cabæi, Kircheni, eiusdem Sacratæ
Religionis, qui omnes profitetur, quod adiu-
ti laborum Antiquorum Authorum, & Iunio-
rum, sunt hodie motus Coelestes veri, ita ve
quod Cabæus affirmat, quod Tichonis obser-
uationes hodie sunt veræ. Iam, inquit, quia
quinquaginta ferè anni sunt, & amplius, ut à
regulis Tichonicis Planetarum, & Astrorum
motus, & loca definiuntur, neque hactenus de-
tegentur errores notabiles, imò experientia ostē-
dit exactiores esse calculos, & exactius suppu-
tari coniunctionē, tam Luminariū, quàm Pla-
netarū ex regulis à Tichone præscriptis, quam
ex alijs; unde nunc ferè omnes eius calculos se-
quuntur, & regulas admittunt, & ab Anti-
quis recedunt, quos Ticho emendauit.

Ioan. Bapt.
Cifato.

Sed quia hoc non decipiat indoctos nō negatur, quod multum laborarunt in exacta horum motuum correctionem, ipsi verō Aucthores, & Correctores dicūt nobis, quod sunt aliquæ res nullo modo possibiles reductionis determinati, & veri puncti, quare idem Pater Cabæus solū loquitur in habilibus terminis, ut notat Iulius Bullengerius eiusdem Societatis Iesu lib. 2. de Divinatione, conclus. 22.

Bullenger.

Nihil centè, inquit, diligentia omisit Ticho Brahe, nihil artis, aut industriæ in notandis Syderum cursibus, libro tamen de nova Stella, pag. 648. Martis, & Saturni motus adeo incertos esse testatur, ut tribus interdum, quatuorve diebus Astrologiæ calculo aberrent, & additur ad hoc illud, quod profitetur Cardanus lib. 2. Tholomæi text. 54. sect. 1. aphorism. 21. Quadam, dicit, sciuntur perfectè, ut circularum ascensiones, quadam propinquo modo, ut Solis revolutio; quadam scire possunt, etsi non sciuntur, ut revolutio superiorum; quadam sub Scientiam sunt, sed nunquam scire poterunt, ut ingressus Solis in Equinoctij punctum, quadam nec sciuntur, nec sciri possunt, ut mixtiones Syderum, & vires.

85
Ex his supradictis faciam argumentum
hoc: certum est, quod tres, vel quatuor dies
magis, vel minus in moribus Planetarum
masculinorum, malevolorumque, & coniū-
ctionibus suis tali, vel tali Zodiaci gradu, in-
ducit evidenter diversas mutationes in isto
inferiori orbe, & hoc non potest negari, hūc
errorem non potuerunt observationibus suis
emendare; ergo quam his regulæ essent exa-
ctæ, & veræ illius Astrologiæ Divinatricis, &
naturalis, ex suppositione, quod non possunt
exerceri, sua ars est frustratoria, & vana. Item
omnes Astrologi vnanimiter dicunt, quod ut
principium essentiale requiritur ad progno-
sticationem temporum futurorum, scilicet
frigiditatis, humiditatis, siccitatis, caloris,
ventorum, & tempestatum, &c. ut cognos-
catur, ut principium magis necessarium in-
gressum Solis in primis Aequinoctij punctis;
quia hoc est secundum Tholomæi doctrinā,
lib. 2. Apoclefmatica, cap. 10. vbi docet, quod
observari debent quadrantes quatuor Zodia-
ci, simul cum Aequinoctialibus punctis, &
tropicis, & coniunctionem, & oppositionem,
quod ad primum præcedit punctum, ut do-

cet Ioannes Magirus citatus in tractatu de
 mutatione aëris, cap. 1. ubi premittit se tolli,
 vel emendari de Otinas superstitie fas, & va-
 rias Arabum, & separari ab Astrologia natu-
 rali, & idem docent Rantzobius, Iustinus, &
 magnus Iurisperitus Petrus Gregorius Tolo-
 sanus lib. 8. Syntaxis, cap. 56. Ad transcen-
 dum, inquit, aëris mutationem. Thelemaus
 artis illius Menarcha ad minutum coniu-
 ctionis luminarium, figuram Cœlestem erigere
 iubet circà quadraturam, & postea ex doctri-
 na Alkendi Alcabitii, & Ioannis Hispalensis
 addunt. Conveniet observare habitudines Pla-
 netarum ad auges, oppositaque augium in ec-
 centricis suis.

Ioannes Hi-
 palensis.

Hoc supposito, malè possunt prognosti-
 care mutationes aëris, & qualitates impres-
 sionum, ut quotidie loquuntur Almanakisti, &
 Calendariographici, si verum est, ut suprâ di-
 ximus, & probavimus suis metipsis Auctori-
 bus, quod nunquam fieri potuit perfectè de-
 finiri Solis ingressum in punctis AEquino-
 ctiorum, etsi in motu Saturni, & Martis pro-
 cedunt sine scientia evidenti, sed parum ma-
 gis, vel minus, & quod Astronomicæ Tabu-

læ errare sunt solitæ tres, vel quatuor dies,
quid de suis Almanakis, & Kalendaris di-
cemus? quia cum propria domus suæ pecca-
ta cum ignorent, de remotis, maximisque
negotijs se scire profitentur, cum enim vlcus-
culum, aut parotidem curare nesciverint,
quomodo quispiam cogitare potest, quod in-
terius est vlcus, aut phlegmonem illos curat-
uros, &c.

*Nicolaus
Carpenicus.*

Roslinus.

Et ut magis cognoscatur quam vana, &
sine fundamento sit Doctrina Astrologorum,
& verum quod diximus, multi in nostris tē-
poribus edunt clam, prognostica mendacis-
sima per eccentricidades, Auges, & Apogæos,
& ut videatur quam incerta sit hæc materia,
& principia falsa, in quibus innicunt multi
Divinatores sentiunt secundum observatio-
nes Nicolai Capernici, & expectant, quod
post annum 1677. Solem assumet à sui mi-
norem eccentricitatem, & propter istam
causam contingerent in mundo maximas
mutationes, & cathastrophes, ut sentiunt
Gens Frisio, Roslinus, & alij quamplures
citati à Tichone Brahe, cap. de Cometa anno
1577. fol. 316. & ibi notat multi Periti, & Sa-

pien:

pietes credent, quod totus Solis orbis muta-
bitur terram versus. *Quidam hac opinione*
imbuti sunt spheram Solis nostro aro compres-
sionem redditam, quam Tholomae temporibus,
 & ex his remanet ars Almanakistica repro-
bata.

Quartô, probari poterat ijs authoritatibus
Antiquorum, & Iuniorum testimonijs, quæ
suprà in secunda huius Epistolæ parte attuli-
mus, sed nûc amplius nostram roborabimus
sententiam Sanctorum Patrum Sacræ Scrip-
turæ sancitis, Pontificioque decreto, atq; Im-
peratorum legibus, quibus Astrologis omni-
bus iudiciarijs supplicium imponebant. A
principalioribus igitur authoritatibus exor-
dientes, Divinûs Legislator Deus Moyse allo-
quens hæc fatuit. *Gentes istæ, quarum posside-*
bitis terram, augures, & Adivines audiunt,
tu autem à Domino Deo tuo aliter est institu-
tus: Si enim Astrologia non naturales non ef-
set prohibita per litteras Divinas, nec Sacros
Canones illa vti possemus, sed constat ex cap.
22 Numer. quod Balaam loquens Divino spi-
ritu laudans Israelitico Populo, dixit: Non est
augurium in Jacob, nec Divinatio in Israël.

Moyse

veluti sicut si dixerat non est Fidelibus Christi-
stianis divinare; quia est vanissimum, & fal-
sum à dōe nōne inductum, & propter hoc
Saul, ut obsequium faceret Deo vero, exire
iubet Augures ex terra Israël; quia ut dicit
Alciatus in suis Emblematis.

Alciatus. *Icare per superos, qui raptus, & aërea, donec*
In mare precipitem cera liquata daret;
Nunc te cera eadem, fervensq; resuscitat ignis
Exemplo, ut doceas, dogmata certa tuo,
Astrologia caveat; quidquid predicere praecept
Nam cadit impostor, dum super Astra volat.

S. Hieron. Divus Hieronymus Augures transtulit à
verbo Hebræo, quod *Ab hora* derivatur, quod
horam significat; quare Augures intelliguntur,
qui supputant tēpora, & foelices, & infœlices
Moyse. horas observant. Sic Moyses, & omnes Sacri
Vates eā interdiciunt, ut secundum Idolatriā
explodatur, & vituperetur. Et in lib. Iob his
verbis irridentur; *Numquid nosti ordinem*
Cæli, & pones rationem eius in terra? Et iterū:
Quis enarrabit Cælorum rationem? Ieremias
Ieremias. *Propheta inquit: A signis Cæli nolite metue-*

re, quæ gentes timent; quoniam leges Populorum
vana sunt. Et Isaias: Annunciate, quæ ventu-
rasunt in futurum, & sciemus, quia Dî estis vos:
& idem cû Babylonijs minaretur excidiû post
ducentos annos eventurum; ipsamque Kal-
deorum urbem desolaturum, maximè irritet
his verbis: Et scientia tua decepit te, veniet su-
per te malum, cuius nescies ortum, irruet super
te calamitas, quam non poteris expiare. Et po-
stèa subdit; stent nunc, & salvent te augures
Cæli, qui Sydera contemplantur, & menses
supputabant, ut annuntiarent eventura tibi:
ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos,
& non liberabunt animam suam de manu flammæ.

Divus etiam Paulus ad Galatas contrâ eos S. Paulus
invehitur: Dies, inquit, observatis menses, &
tempora, & annos, timeo fortè, ne sine causa la-
boraverim in vobis, quibus verbis demonstrat
superstitiosas temporum observationes ad
animæ periculum pertinere.

Divus Basilus loco suprâ citato, In scriptis S. Basilus
Astrologorum, & multam impietatem, & ig-
norantiam inveniri asseverat, & verba Esais
citati contrâ ipsos affert.

S. Ioannes
Chrysostom.

Divus Ioannes Chrysostomus in Commē-
tarijs Sancti Mathæi, *Opinionem Astrologo-
rum, utpotè blasphemiam reiicit, quafreti pu-
tant Stellas in causa esse, ut adulter quis, aut
homicida fiat,*

Damasce-
nus.

Divus Ioannes Damascenus in suis Theo-
logicis sententijs eamdem refellit: *Discernit,
que in Cælo posse imbrium, & siccitatis, & ca-
liditatis, & frigiditatis, atque ventorum sig-
na, nequaquam autem nostrarum actionum.*

S. Augustin.

Idem tenet Divus Augustinus plurimis in
locis, & in libro de Doctrina Christiana scri-
bit: *Ex notatione Syderum velle nascentium
mores, actus, & eventa predicere, magnum esse
errorem, magnamque dementiam, & multis
modis Astrologicam vanitatem infectatur,
longisque disputationibus abominatur, &
refellit. Mitto ex instituto (ne multis im-
morer)*

S. Gregor.

Divum Hieronymum, Divum Gre-
gorium, Lactantium, Theodoretum, & alios
quam plurimos Astrologiā infectantes, quo-
rum sententias si afferamus, & dicta, integrū
magnum volumen scribere necessarium fuisset.

Eccl. Cath.

Ecclesia etiam Immaculata, & Catholica,
& Sacrosancta quantum hanc vanitatem

excluserit & abhorruerit, ab eiusque erroribus filiorum mentes separare desideraverit, multifariam poterat ostendi; sed paucis modo contenti erimus. In Toletana Synodo, cuius mentionem fecit Ioannes de Turrecremata in summa Ecclesiæ adversus Astrologiam, ita decretum est. *Si quis Astrologia existimat esse credendum, anathema sit.* Pontificis etiam decretis 26. quæst. 2. *Univerſa superſtitio damnatur, eodemque loco definitur Christianam, & veram pietatem Mathematicos ipsos, & Planetarios expellere, atque damnare.*

Synod. Tol.

Decret.

Decret.

Sixtus

Iustinianus

Decretum item Iunioris Gregorij anathema pronunciatur Astrologus sub Aurispicū nomine, & decreto 7. quæst. 27. decernitur: *Magnum esse peccatum dies observare, & annos, & menses, & tempora.* Similiter etiam Sixtus Quintus contra ipsos invehitur.

Lex quoque Imperatoria, eos multis pœnis condemnat. Iustinianus enim interdicit Iuditiariam, & Constantinus pœnam capitis imponit ei, qui Aurispicem, aut Mathematicum consuluisse, & si quis Caesaris committatur Mathematicus deprehensus fuisset, & conv-

Etus

Stus Aculei pœnis deputabatur. Genus hoc ho-
minum prudentes legum Expositores; tam
perniciolum esse existimarunt, vt cum esset
statutum, ne socius, & particeps criminis ac-
cusare posset, Mathematicus exciperetur, cu-
Guillerm. ius Guillelmus Speculator cognomento, tra-
ctu de accusatoribus inter legum Interpre-
tes eximie authoritatis meminit. Ignomi-
nios etiam à Roma expellebantur sub Tibe-
rio, sub Vitellio, sub Diocleciano, sub Con-
stantino, sub Graciano, sub Valentiniano, sub
Theodosius. Theodosio, & vel professionem deserere, vel
exilij pœnas luere cogebantur; adeo inuitiles, &
noxij iudicati sunt. Vide de hoc Picum Mi-
Com. Mir. randularum Comitem acerrimum Astrolo-
gie impugnatores, lib. 5. de superstitiosa
prænot. contrâ Astrologiam Divinatricem,
cap. 7. ferè in fine capitis. Quo igitur malo,
aut quo dæmonum astu fit, vt cum vbiq;
gentium decretis expellantur, nunquam ca-
men extingui possint, quod sanè novum nō
est; nam Tacitus lib. 7. de Mathematicis dicit:
Tacitus. Genus hominum potentibus infidum, speranti-
bus fallax, quod in Civitate nostra, & vetabi-
tur semper, & retinebitur.

Sed satis probatas manere authoritatibus nostras verissimas conclusiones mihi videtur, nunc ad ultimam huius Epistolæ partem descendamus, in qua argumētis in principio propositis faciamus satis.

Ad primam, quod ab authoritate Aristotelis, & Divi Augustini deducunt, nihil probant ijs authoritatibus, mundum namque hunc esse contiguum superioribus latioribus, & illud Divini Augustini asserentis inferiora hæc grossioraque corpora à subtilioribus grossioribusque regi, nihil aliud est, nisi Coelum esse omnium rerum inferiorum universalem causam, cum particularibusque concurrere, & ab ipsis dirimi. Et Hypocratis, & Galeni, & Taisneri adducta loca, & dicta non obstant, cum ipsi citatis locis, & alijs quam plurimis velint, quod Medico Astronomia conveniat, non Iudiciaria, ut aëris præcipuas mutationes, annique varias constitutiones, quæ à Sole proveniunt, præcognoscere ad hominum tutelam possit, quod aperitissime declarat his verbis Hipocrates in lib. de locis, aëre, & aquis: *Magnas temporum mutationes observare oportet, ut nec medicamenta in illis*

Hipocrates

exhibeamus, ne curamus, qua circa ventrem
sunt, nec secemus, priusquam praterant dies
decem, aut plures, & non pauciores; periculosis-
sima sunt, & ambo Solstitia, maximè verò asti-
vum: periculosum etiam est Equinoctium ma-
ximè Autumnale. oportet autem, & Astrorum
exortum considerare, præcipuè Canis, deinde
Arcturi, & Pleiadum occasum; morbi enim
his maximè diebus iudicantur; alij perimunt,
alij verò desinunt, aut in aliam speciem, aliam-
que statum transmutantur: Hæc Hippocrates.

Et in dicto loco solum temporum muta-
tiones ex Syderum ortu, occatu vè causatas,
iubet observare, eo enim tempore Sol varias
in aëre imprimit qualitates. quatenus magis,
minus vè accedit, magis vè minus calefacit,
hoc enim omnes Medici, Methodici, & Periti
faciunt, & observant, non sicut imperiti, &
gerrulatores Chirurgici, & Barbitonsores qui
hodie in sanguinis missione vulgum imperi-
tum fallant. Circa evacuationes sanguinis,
quæ non fiant in tali, vel tali quadrante Lu-
næ, quod est ridiculum & dicere, & obser-
vare præter conjunctionem Solis cum Lu-
na, & hoc nogni in cura methodica, & re-

gulari, non verò in cura coacta; quia cum illis mutationibus, morbi, & iudicari, & desinere, vel opprimere ægros valdè soleant, aut in aliam speciem transmutari; ne eo tempore valida corpori exhibeamus medicamina, ne ad eam noxam ex aëris mutatione causatam, alia ex medicamentorum usu maior adiungatur. Namque cum Sol cum Canicula adest, ex eo magis adurit; quia suprâ nos, & in vertice nostra maiorem moram trahit, idcò medicamenta eo tempore colliquantia, nostris humoribus colliquantis, & corporibus terrefactis nequaquam debemus adhibere. Atque subinde, quæ Sol in Solstitijs, & Æquinoctijs facere solet cognitis, occurrere aëris intemperiei contrarijs possumus.

Quibus sic declaratis à Doctissimo Valeriolâ lib. 6. enarrat. medicinalium, inquit: *Que Astronomi de dandis medicamentis, de secanda vena, de ferro adhibendo, deque cæteris Medicina operibus ex Astrorum vario positu, & observatione obediendis produnt, quorum omnia esse falsa, & multi sæpè alij, & ego infinites sum expertus, inniti non debere Medicum affirmo, atque ex eorum observatione Præcep-*

Valeriolâ

torum, quæ salutaria inventa sunt hominibus
consultare, non ex Astrorum observationibus op-
portere. Et parum infra subdit: ego profecto,
quod sanctissime affirmare posse videor millies
in Geminis constituta Luna sanguinē me agris
salubriter misisse profiteri verissime possum, ip-
soque etiam collus Luna cum Sole die plerum-
que fecisse, quin & deliquitum patiente bis me-
mini, me in angina, & pleuritide sanguinem
agris duobus magno eorū cōmodo misisse; uter-
que enim confestim Dei ope, mea autem opera,
& diligētia curatus brevi fuit: Hæc Valeriola
Et hoc mihi idē contingit curanti pestē in Be-
tica Provincia anno 1650. in multis ægrotis,
& infœlices Medici sunt, qui cōtrarium ob-
servāt in suis curationibus, vt narrat Paulus
Iovius in suis elogijs, vbi inquit: Petrus Leo
Spoletanus, ingeniosus, & doctus Astrologus;
sed infœlix Medicus, à Laurentium Medicis
vocatus cum parum prospere medicamenta suc-
cederent melancolia, vel hypochondriaca cor-
ruptus in puteum sese precipitavit, &c.

Paul. Iov.

Petr. Leo.

Historia:

Ad secundū etiam respōdere possumus
mutationes illas Solis, & Lunæ, ex quibus in-
feriorum mutationes exoriantur ad ipsiū

Sos.

Solis, & Lunæ, quæ naturales causæ sunt dū-
taxat naturam referemus, non autem in Stel-
las alias, sed nec in ipsa luminaria; vt Planeta-
rij fabulantur; anni namque variatio, ad So-
lis accessum; ipsiusque recessum referri debet,
non in signorum naturam; quia pro distan-
tia maiori minus calefacit, pro minori autē
magis. Vnde etiam naturales humorū mu-
tationes in nostris corporibus, & in aëre cau-
santur. Quare explodenda est illa, quam as-
signant caloris causa; inquiunt enim ex cale-
facere, ideō nos Solem in Leone constitutum;
quia signum Leonis calidum est, & Solis do-
mus, nunc quæso respondeant? cur Sole ip-
so in Cancris signo immorante intēsus nos ca-
lore exerceat? nec enim Solis domus est Can-
cer, nec eius exaltatio, non igneum, hoc est
calidum, & siccum, sed frigidum, humidū-
que, vt potē aquaticum, vt eorum dogma
præscribit. Pari etiam ratione in Ariete con-
stitutus Sol vestit humum floribus, quia tunc
fecundum teporem immittit; non quia So-
lis exaltatio sit Aries, vt ipsi contendunt Divi-
naculi; si enim ideō id fieret, fieri etiam vbi-
cumque terrarum illud idem deberet, cum
exal-

exaltatio communis sit omnibus terris; consequens etiam est, vt calor inde proveniens communis fiat, sed hoc est factum; ergo illud ex quo sequitur, quando quidem Sol in Libra Arieti adversa idem apud alias facit Regiones, quod apud nos in Ariete.

Quod si quis obijciat eadem Solis positura æstates magisve minus ferveret, & hyemeseūdem semper rigorem non servare, & alios alijs calidiores eiusdem æstatis dies esse, ad eiusdem pariter hyemis frigidiores; ergo ad Cælum necesse est hæc ipsa referre.

Cui obiectioni responderetur, *Referendum esse ad Cælum, veluti in universalem causam operantem secundum materia dispositionem, non verò in aliquem particularem Planeta aliquis influxum hunc effectum particulariter operantem.*

Ad primam confirmationem dicendum fluxum maris, & refluxum in indiscibilem, occultamque causam, fore reducendum, sicut pleraque alia, quorum rationem nequimus ministrare. Addita namque, & latēs in natura multorum versatur proprietates, quæ investigari minimè potest, cuius generis sunt

sunt magnetis occulta virtus, que ferrum
 sibi trahere, illique vniri Philosophi testantur
 omnes, medicamentorum item purgantiu
 qualitates, & alia medicamenta, vt Lapis Bel-
 zoaticus, cortex de Aloxa, & alia, quæ non
 quia calida, frigida, humida, aut sicca; sed
 quia talie (vt in proprijs vtar Medicorū ver-
 bis) similitudinem substantiæ, v ipsi ferunt
 ex occulta Elementorum mixtione compa-
 rarunt, propter quam familiarem succum
 vnuquodq; medicamentum ad ventrem,
 & intestina trahit, indeque facultate ex'pul-
 trice, onere, & qualitate humoris attracti ir-
 ritata ad expulsionem confurgit, & alia me-
 dicamenta sine vlla evacuatione sensibili, vel
 insensibili extinguunt malignam, & perni-
 ciosam humorum qualitatem, vt faciunt illa
 supra posita.

Pleraque etiam alia reperiuntur occulta,
 & latenti qualitate prædita, tam ad æreum,
 quam ad aquas, & terram pertinentia, quo-
 rum seriem inuenies in nostro de differentia,
 quæ reperitur inter Abrotanum, & Bupthal-
 mum opusculo, isto anno præsentis 1674. ty-
 pis mandato, & in lucem ædito,

Quare ne nobis occasionē delirandi præ-
stet maris fluxus, eiusdemque refluxus, sicuti
Aristoteli melancholiæ & vt vulgariter fer-
tur (sed mendaciter) mortem sibi ex ipso ma-
ri comparandi, ad occulta naturæ arcana, ve-
luti in arcem, recurramus, licet aliqui dicunt;

Aristot. quod *Aristoteles bibens aconitum, quod est ve-*
Historia: *nerum mortuus fuit.* Alij Authores dicunt;
Quod cum Aristoteles in Chalcide exularet, &
Euripi Augusti in Eubæa freti, septies inter-
diu, noctuque alternis fluctibus stato tempore,
vt fluxus, & refluxus reddere non posset, mero-
Plutarcus: *re, & melancholia contabuisse, & hinc morti*
occubuisse; sic Plutarcus, Crinitus, & alij.

Et sic rerum multarum ignorantiam non
pigeat profiteri, si verum est, eorum, quæ sci-
mus partem magnam, minimam esse, eorū,
quæ ignoramus.

Qua doctrina patet responsio secundæ cō-
Galen. firmationis; nam etsi Galenus lib. 3. de diebus
decretorijs, si fortè illius est, & ipso non ad-
Manardus. scriptus, vt tenet Manardus, Lunæ motum
chrisimos dies facere videatur asserere, ego
verò sentio, salva ipsius pace, horum occultā
proprietaem, dispositio namque indiscibilis,

cum qua Cœlum, & vniversalis causa con-
currens in causa esse, vt mutationes varias
morborum, & febrium per iudicationes pa-
riat.

Ad tertium dicendum, Nautarum, Agri-
colarumque vaticinationem non penes Lu-
næ motum, aut alterius Planetæ posituram
immediatè rimari; sed quia ex varia ipsius
positione diversæ in aëre imprimuntur pri-
mæ qualitates, quibus mediantibus variæ in
ipso aëre mutationes contingunt, & est illis
permissum vaticinare statum aëris, aquæ sic-
citatæ, & tempestatis antequam veniant. Ec-
hoc prudenti modo prognosticandi nobis de-
dit Christus exemplum, vt constat ex San-
cto Luca 12. *Dicebat autem ad turbas, cum*
videritis nubem orientem ab occasu, statim di-
citis, nimbis venit, & ita fit; & cum Austrum
fuerint, dicitis, quia est uerserit, & fit. & ex hoc
sequitur, quod Nautæ, similiter, & Pastores,
& Agricolaë quibus de statu aëris serenitate,
pluvia, & siccitate, sæpè notūt antequam fiat,
quod futurum est, quales viri prudentia pol-
lentes, qui longo vsu rerum edocti sæpenu-
mero, quod futurum in Provincia, in Oppi-
do,

S. Lucas

do, in Civitate, in domo ex rationabili co-
nietu: a prænoscunt vnde illud Euripidis:

Qui benè coniçiet, is vates optimus e[st].

Quod autem Coelum primarum qualita-
rum efficiens sit causa, iam suprà ostēdimus,
& nunc tanquam certissimum libenter con-
cedimus, Cœlū primas qualitates, aliasque
secūlas, & tertias producere, & pro materia
inferiorum dispositione in ipsis introducere,
quæ nō actu in Cœlo cōtinentur; sed eminenti
quodā modo sub quadā vi, & qualitate in-
dicibili in ipso Cœlo actu existenti, perpetuūq;
illi adhærente; sicut rationalis anima, quæ
actu in homine solum reperitur, etsi ipsa nec
sensibilis, nec vegetabilis sit, effectus tamē sen-
sitivarū animarū, & vegetabilium exequitur,
quia eminenter in rationali continentur.

Plato. Hanc qualitatem Cœlo inhærentem, ca-
lorem vitalem Peripathetici appellabant,
Virgilius. Plato magnum naturæ seminarium, Philoso-
phi Antiqui, Iovem; hæc etiam est, quam ce-
cinit insignis Poëta, & Divinas, quia olim
adorabant Gentiles eos, qui virtute, & Sa-

pien:

pietia præcellebant, ut constat ex Daniele
2. vers. 46. 6. Æneidar. inquit Virgilius.

*Principio Cælum, ac terras, camposq; liquentes,
Fulgentemq; globum Luna, Titaniaq; Astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agit at melle, & magno se corpore miscet;*

Ad quintum, conditionalis conceditur eo
modo, quo iam explicuimus, recurrendoad
materiæ inferiorum dispositionem, qua me-
diante Cœli operantur, & in bres, tranquil-
litates, siccitates, aut humiditates efficiunt;
sic quoque eos ipso terremotus, pestilentias,
& Regionum salubritates. Hoc enim si à cō-
cesso non sequitur hominum conditiones, &
propensiones à constellationibus pendere;
sed hoc aliunde petendum: nam cum animi
mores corporis temperaturam sequantur,
teste Hypocrate lib. quod animi more, &c. ab
ipsa inclinatione variæ, quadam veluti ema-
natione procedunt, quare falsum est, quod
assumebant, pendere à qualitatibus, quas Sy-
derum configurationes largirentur.

Hipocrates.

Ex his, quæ dicta sunt, constat verissima

82
responsio sexti, & septimi argumenti, & non
obstat, quod in septimo argumento ab homi-
num eventis petebatur, quod etsi quamquā
nostras vires excedere videatur, & præter
meritum fieri, habent tamen apud nos suas
causas, quæ ab Astris frustrâ petuntur; nam si
de magnis quæstio est, ut de Alexandri fœ-
licitate, & alijs hominibus, de quo Aristote-
lis Præceptoris ingenio Divinissimo Cœlum
causa horum non est: multi enim eodē Astro-
nati, nec Aristoteles, nec Alexander fuere: si
verô de facinorosis loquamur, qui liberan-
tur, & indulgentur quotidie contrâ conscien-
tiam, & iusti trucidantur; eventus hi ab ho-
minum erratis procedunt, qui multoties ita
contingunt summa Dei bonitate, & Sapien-
tia, atque inescrutabili iudicio, qui ex malis
bona eliciens impium, & facinorosum, ut
emendetur liberari, & iustum mori, & inno-
centiæ suæ præmiū capescat permittere so-
let, ut contixit ab hinc quinque annis in In-
dijs in Regno Pirû: Iosepho à Salcedo in Op-
pido de Puno, qui cum esset Hispanus de Pro-
vincia Extremaduræ, de qua, & de homini-
bus in illa natis dicitur *Extremeno, aungus sca*

un leño. æstimari debet, quia ex illa Provin-
cia septem Duces, & Colones omnia Indo-
rum Regna, & Novum Mundum Regi no-
stro Hispano, & aperuerunt, & subiecerunt;
vir iste Fidelis legalis virtute, & charitate er-
gà omnes præditus, qui Carolo Secundo Re-
gi nostro per decem annos, vt per libros Re-
gios constat, quinquaginta millies mille mil-
lies donauit, quod videtur quasi impossibile,
quod omnes simul Munditotius Reges simi-
lem subditum obtineant, ne tantorum nu-
merum sint possessores, inuidiæ ergò imputa-
tus infidelitatis fuit; quia virtutis comes est
inuidia, & vt dicit Saluator noster per Evan-
gelistam S. Math. cap. 15. Ex corde exeunt
adulteria, homicidia, furti, testimonia, & alia
huiusmodi facinora, quia auri, & argenti sa-
cra famis, quid non mortalia pectora cogit? ho-
mines per cupiditatem, quæ est radix omniũ
malorum per aurum, & argentum desinunt es-
se homines, & in belluas, demonesque mutari,
vt docet S. Ioannes Chrysostomus homil. 39.
super lib. Paul. ad Corinth. Et homo homini,
dæmon quia mendacia, & testimonia falsa dia-
bolo placent, Deo displicent. Vir iste, de qua

S. Ioannes
Chrysostomus

est historia à Prorege Piru damnatus fuit capite, & cognita post mortem suam innocentia, mulieri, filijs, fratribus, & hæredibus restituta fuerunt bona sua, quæ erant in Regia potestate, & iustitia, & dati fuerunt per bonos, & fideles subditos Regis, & sic multoties iusti trucidantur, & mali liberantur. Et fortasse iusti puniuntur, vt supplicium luant patrum suorum, secundum illud præceptum
Moyfis. *Moyfi in in Decalogo datum: Ego sum Dominus Deus tuus fortis Zelotes visitans iniquitatem patrum in filios insertam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me, &c,*

Et licet aliquando patres, liberique eorum impune tulerint, non omnis tamen eorum posteritas iram Dei, poenamque vitavit, quod Iosæ Regi accidit: huic enim propter singularem pietatem cum pepercisset Deus, dedissetque, vt in pace in sepulchrum maiorum suorum inferretur, nec videret consequentium temporum mala, quæ propter Manassæ impietatem Iudæa, & Ierusalem erant eventura, eo mortuo, posteros eius ultio Dei consecuta est, sicut nec filijs quidem Iosæ pepercit.

Ad ultimum respondet Divus Augustinus. Occulta demonum afflatione, quam nescientes Astrologi patiuntur, assequi eos interdum veritatem, quam aliqui non assequerentur: tunc maxime id fieri putandum est, si mirabili predictione particulariter dictum, vel factum pronuntiaverint, quod nec ipsam Astrologiae artem præstare posse testatur Tholomæus in 1. lib. centilq. scribens: Solos numine afflatos prædicere particularia posse occulta, & latenti demonum inspiratione; quos non solum hoc posse Divina Sapientia sciri; sed & illud etiam, ut quod falsum fuerat prædictum opere implens verum efficiat, nullam decentius summa iustitia penam exigente, quam ut quæ Divina veritatis superbia ingenia non subdunt, nebulis, & mendacijs libertatem, & fidem suam obligent.

Tholomæus

Præterea sæpissimè falluntur istius Scientiæ Sectatores, quandoque vera si prædicent, quod fatuis etiam, atque atrabile tumultuantibus fortè futura fari contingit; quia plurima ferunt, quæ & idem Astrologis Iudiciarijs evenire aliquando videmus, & mendacia eorum infinita multiplici fallacia obtegunt, ne omnino facti apud vulgus appareant; nam &

sub

sub dolo, & sub conditione, sæpenu-
mero prædictiones faciunt, si de futuris præfatur
dæmiones imitantes, qui vt Dei simiæ sensi-
bus nostris illudendo miracula euentiūtur,
Vallesius vt inquit sapientissimus noster Galenus Co-
varruvianus, & Castellaneus libro suo de Sa-
cra Philosophia, cap. 30. propè finem; Sic vt
illorum Affecta, vt Pseudopropheta ambigua
respondeant, vt illud:

Ajo, te Acacida Romanos vincere posse.

Si verò de alijs temporibus, & figuris, &
prognosticis loquantur mendacissima sunt
ferè omnia; licet mihi in præsentī de Astrolo-
Alciatus. go quamdam historiam proponere; Alciatus
in Emblem. 103. dicit: *Angelus quidam ex*
Historia. *Astris prædixerat Henricum Septimum Ange-*
lorum Regem, qui tunc Regno præerat, eo anno
extinctum iri: Rumor statim ad ipsum Regem
delatus est, iubet itaque hominem ad se vocari,
à quo sciscitatus est, an ex Astris certum ali-
quid possit præcognosci: innuit, sed tunc inquit
Rex, eius artis peritus est: sic esse respondet. Tū
Rex, an certò coniectas me præsentī anno mori.

turum? sic esse ait. Dic ergo mihi, Rex infert,
ubi tu futurus es his Festis Natalitijs? insta-
bat enim Natalis Domini dies, nan. Et hoc fer-
tè te non fugit, ego ait, cum meis familiaribus,
Et domesticis laute me victum spero. At cer-
tè, ait Rex, artistua sum peritus, quam scis ipse
nam scio te futurum in carcere, si n. ulque homi-
nem in vincula coniici iubet, illic autem ubi sã
satis divina n. di calerrefrixisset, cum risu di-
missus est; quare Ecce: Fœlix, quem faciens
aliena pericula cautũ; quia debemus enim a-
liorum periculis fieri cautiore, & prudẽtio-
res, & maximè istud est sapere; dum alieno
damno sapimus, ut dicit Ploclus:

Ex vitio alterius Sapiens emendat suum.

Falsissima etiam sunt ferè omnia, quæ in-
quiunt Almanakisti, & Vaticinatores, ut ex
dictis suprã constant; quia non habent certũ,
& evidentem methodum prognosticandi, &
sic dicunt postea talia non evenisse, qualia
Coelum significabat; quia signi bonitate Pla-
netarũ malicia obtundebatur, & hebescebat,
vel alterius Stellæ radiatione, vel cum Sole
amore, odio, vel amicitia, ut videre est in om-
nibus, quæ in publicum singulis annis eduntur

prognosticis, quæ si vera fuissent prognosticarent eventura ut incendium maximæ structuræ Escorialis, & magni macelli, vel Fori Matritensis, & alia, quæ annis præteritis contingerunt, loquuntur enim de Eclipsibus, & nota quod multi Eclipses, absque noticia Astrologorum vidimus, & ego met in Africa anno 1662. die 12. mensis Februarij vidi Iridē san-

Historia. guineum media nocte, sed hoc rarō fit, ita ut Aristoteles bis in quinquaginta annis observavit, quia in tenebris latent colores, & Stellas etiam per diem anno 1658. & circa ill-

7 et. Medin. dem notant Petrus de Medina in historia Hispaniæ, & Iulianus Castellus in hist. de Hispania, lib. 2. disc. 1. loquens de filiis Noe, Sem, Cham, & Iaphet, cum vxoribus, cū vidissent Iridem in nubibus valdē admirati fuerūt, unde potest colligi istos fuisse primos Hispaniæ Colones, & illius Conditores, & non alij Noe nepotes.

Referunt Regiones, Provincias, & Civitates, Reges, Reginas, & Principes, quibus per iudicia eccentricitatum Augeorum, & Apogeorū intrā quatuor, vel quinque annos multa pericula per prognostica clandestina mi-

nāntuo; sed ego in contrarium horum Vati-
cinatorum hæc Prophetia diffundo.

In Natalitia nostri Regis Caroli.

Quando Rex noster Regias accessit ad Aras.

Emicuit mediolucida Stella die,

Dic Divina mihi tractans Enigmata praeo

Hæc oriens nobis quid sibi Stella velit.

Magnus in occiduo Princeps modo nascitur or-

Crasq; sub Eclypsi Regna Oriētis erūt. (be)

De Regina nostra possum dicere hæc.

Tam benè Regina leges, & iura gubernas,

Vt te mortalem quilibet esse neget.

Tam benè nostra mortalia iura gubernas,

Vt te Cœlestem quilibet esse putet.

Et postea subdunt, ne de mendacio, & falsi-

tate increpantur: Mas Iupiter, ò otro Astro se-

ñor del año lo benévola con sus buenas influen-

cias en compañía de Venus, ò de otro Planeta.

Deo volente, hæc ipsi. Hoc etiā modo men-

dacissima fantur multi Medici, qui medici-

næ prognostica fugientes, qualia per antē ve-

tustissimus Hypocreat. docuit, vaticinia mul-

ta, & ridicula singulis anois, & singulis dieb.

non sine magno insipientiū periculo difun-

dunt, ex quibus colligamus, nec caenire, quæ

Hipocrotēs

dicunt, nec si eveniant, crebroid esse; sed raro. O felum præterea est vanitatē ipsam, præter artificiosam, & astutā Astrologorū industriā, dæmones quoq; favere ad animos malignos; hominū irritiendos; religionisq; puritatē inficiendā, & perspicuitatē obscurandā.

Demus igitur huic Epistolæ ultimā manum
Taisnerus. Valeriolæ verbis citatis, inquit enim: *Abditissima ergo sunt profectò, & in natura arcanis recessibus penitus intrusa, quæ de Syderū viribus nobis Taisnerus citatus, & Astrologi, quia nullis firmis, & certis demonstrationibus, nullis principijs innixa prodiiderūt, atq; eiusmodi, quæ nec credit à nobis debet, nec sciri possunt. Quis enim inquam, nisi mentis impos credere illud queat? Astorū viribus natales hominū dies, vitā, fortunā, eventus, mortes, habitus, mores, ita disponi, ac regi, ut eadē omnibus quicumq; gignatur, sub eodē Cœli status, & Stellarū evenire necesse esse dicant, & pro vario errantiū Syderum, quarūdamq; Stellarū situ, natali hora de omni nati vita, moribus, & successibus iudicent.*

O delirationē incredibilē! atq; natali geminorū tempus idē esse eodemq; ferē tēporis pancto, eademq; invariata Cœli constitua-

tione nasci plerofq; & observarunt antiqui, &
 nos quotidie experimur, quorū sunt dissimi-
 les mores, habitus, formæ, ingenia, diversa q;
 vitæ spatia, diversi, & eventorum successus.
 Proclū, & Euristinem Lacedæmoniorū Re-
 ges geminos fuisse, eodemq; Cœli statu in lu-
 cem editos Cicero scribit, at dispari vita, for-
 tuna, & honoribus. Duas item ego cognosci
 geminas celeberrimo Tuccitanensi Oppido,
 & hodie vivunt vna Monialis in Conventu
 insigni Descalceatarū Matriti, & altera in Gra-
 natensi Civitate, quæ maritū duxit, eodē par-
 tu editas, forma per similes, at moribus, tem-
 peratura, victu tā dissimiles, nihil ut quidquā
 dissimilius dici vlsquā possit. *Qua etiā maior*
vita dissimilitudo reperiri poterit, inquit Div.
Augustin. quam qua inter Iacob, & Esau fra-
tres eodem temporis puncto, ita successivē na-
tos, ut Iacob, Esau ante natum pedeprehensum
post utriusq; partū prius nasci intentans manu-
teneret, ut exitū impediret, Sacri Codices testā-
tur. Quid hic Astrologus dicturus? cū in na-
tali utriusq; hora eadem fuerit Cœlorum, ac
Syderum dispositio, status, & conditio.

Cicero.

Historia.

S. Augustin.

Cūr etiam morborum exitus, Astrologū va-

rijs, ut ipsi quidem loquuntur, influxibus ad-
scribere audent, cum sapè videro est, plures-
que una, eademque Coeli, & Astrorū confi-
guratione in morbū incidere, non tamen pa-
ri exitu ab ipso liberari, alter enim obijt, sa-
lute adeptus alter liberatur, celerius unus, tar-
dius alter ad morbi iudiciū properat. Si enim
ab Astris istaec proveniunt, quod vni porten-
dunt eventurum, id & alteri significandum
oportet, cum contrā planè cernamus. Quin
& multos diversis quidem tēporibus in mor-
bis delapsos salubri exitu liberari, aut morte
raptos occumbere, non vi quidem Astrorū,
sed naturæ, aut vinculis, aut victæ, aut supe-
ratæ. Ac proinde Hypocrates non Astrorum
in morbis seriem, sed ipsam morborum spe-
ciem, vim, atque hominis naturam inspicere
Medicum iubet lib. 2. acut. cap. 38. atque si
& morituros, & eos, quia periculo triti sunt,
discernere velit, non Astrorū indicationibus,
sed signis ijs, quæ à se prodita sunt tribus præ-
sagiorū libris insertum esse oportere scribit.
20. An non hic nihil quidem ex Astris in mor-
borum dignotionibus, aut curationibus per-
tendum, sed magis ex ijs, quæ natura cōstant

theorematibus, virium inquam robore, aut
 imbecillitate, morbi magnitudine, levitate,
 tollerantia, aut difficultate, somno, vigilijs,
 aestu, quiete, presagia curandi, rationemque
 omnem sumere oportebit. Sic ubique Hy- *Hypocra-*
 pocrates, sic Galenus, & omnes Medici peri- *Galenus*
 tiubent, sic Valeriola contra Astrologos, &
 nos contra Tassnerum invenimus, & suæ en-
 arrationis finem imponit, his verbis: *Desi-*
nat itaque nobis Genethliaci isti Astrorum ob-
servatores predictionibus suis imponere, at
quod sua eorum artis scientissimi se nescire ar-
bitrati sunt, ne ipsi scire arbitrentur. Qua sen-
tentia, & opinione omnium, quos supra ad-
duximus Authorum innixi eam tantum Astro-
nomiæ partem, quæ de motibus est, ut cer-
tissimam amplectimur, & ad Medicos usus
necessariam, & ad aliam scientiã Divinatricẽ,
utpotẽ mendacem, & inutilem rejicimus.

Hanc Epistolam brevibus istis compen-
 diosis præceptionibus tradendam, tibi que
 tanto Principi mittendam existimavi, ut
 quod longitudinis artis est, id præceptionum
 brevitate, atque compendium sarciat. Fa-
 cili enim orationis conjuncta cum brevitate

dignitas, ut artis rudimenta facilius studio
contineant, & maiori fructu, atque volup-
tate artem nanciscantur, unde est illud Oratij.

*Oratius. Quidquid precipias sto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; Fideles.*

Uterius igitur non pergam, sed istos rei
Mathematicæ corruptores concutere, & dis-
strahere; sed cum mihi à molestissimis curis
respirandi beneficium à Deo Optimo Ma-
ximo præstetur, maiori alacritate, & nobiliori
studio alios labores inceptos ad calcem per-
ducam. Vale amantissime, & præclare Prin-
ceps.

Cedant omnia in Dei Optimi Maximi laudem.

*Et Beatissima Virginis Mariae sine labe
concepta, Et omnia sub correctione*

*Sanctæ Matris Ecclesie
Romane.*

R 529

BIBLIOTECA HISTORICA MUNICIPAL



1200037042

10 1200037042

Ayuntamiento de Madrid

udiosi
pra-
dratij.

nfles

amo

eles.

idm

os rei

x die

cure

a re

lior

per-

rin-

zob

non

ide.

nece

alio

quo

li

odio

tan

quod longinquitas est id p[ro]p[ri]etate
p[ro]p[ri]etate, et de compendium laetitia
et cum orationis comitatus cum p[ro]p[ri]etate

dig-

vil.
m. u.
fox.
910

10 1200037042

Ayuntamiento de Madrid

Ayuntamiento de Madrid